



C.W.G.V.N.

[Scioppius, Caspar, ps.:]

Zuerst 1641 erschienen.

ALPHONSI DE VARGAS TOLETANI

RELATIO

Ad Reges & Principes Christianos

DE STRATAGEMATIS ET SOPHISmatis Politicis Societatis Jesu ad Monarchiam Orbis terrarum sibi conficiendam:

IN QVA

JESUITARUM ERGA REGES AC POPULOS optimè de ipsis meritos infidelitas, ergaque ipsum Pontificem perfidia, contumacia & in fidei rebus novandi libido illustribus documentis comprobatur.

EDITIO NOVA

Ab innumeris mendis, quibus priores scatent, vindicata.



ANNO M DC LXV.

ALPHONSI DE VARGAS TOLETANI

Ad Reges & Principes Christianos Relatio, de Stratagematis & Sophismatis Politicis Societatis Jesu ad Monarchiam Orbis terrarum sibi conficiendam.

Caput I.

CUm Societas Jesu novi generis Monarchiam in universo terrarum orbe non modo super hominum fortunas & corpora, sed etiam super eorum animos, voluntates, sensus & judicia, animis affectet, ad rem magnopere pertinere censet, omnes alios Religiosorum Ordines & Academias Catholicas contemni nec ullo numero haberi, velut ingeniorum acumine, tum dictionis cultu & copia, tandem sapientia, seu divinarum & humanarum rerum scientia minus pollentes, suos verò Religiosos, tanquam capitales, ingeniosos, disertos, Musarum pullos, & Suadæ medullas, ac velut aureo fune de cœlo demissos Sapientiæ Doctores, solos adspectari, omnibusq; venerationi & in amoribus ac deliciis esse. Scriptum quippe meminit Prov. 17. *Servus sapiens dominabitur filiis stultus.* Prov. 11. *Qui stultus est serviet sapienti.* Ecclesiastæ 7. *Sapientia confortabit sapientem super decem Principes civitatis.* Sap. 8. *Propter sapientiam habebo claritatem & honorem apud seniores & in conspectu Potentum admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, & sermocinante me plures manus ori suo imponent. Disponam populos, & nationes mihi erunt subjecta.* Nimirum unicæ ac singularis sapientiæ opinione sibi cõfectâ minimum Societas habebit negotii, ut disponat populos & nationes sibi subjectas habeat. Ut ergo fides omnibus fiat, cum Jesuitis natas & interituras literas, ipsosq; serio dictum audire meruisse illud Job. 12. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia.* Propterea perpetuo suas ac suorum laudes prædicare, omnesq; alios præ se, ut fœnum esse dignos, sermonibus elevare & contemnere audiuntur. Quod quo minus quis inter puerorum & epheborum subsellia, inq; privatis matronarum ac divitum Χρυσομάλλων congressibus subinde facere eos ambigat, in publico exstant libri eorum, illustria fastidii, gloriarum & contemtus erga cæteros documenta exhibentes. Non longe abiero, Didaci Bazæ

Cujusmodi Monarchiam Societas affectet.

Generale ejus conficiendæ Mediũ.

Præclara hominum opinio de Iesuitarũ sapiẽtia.

Nam sapientiæ debetur imperiũ.

Itaq; Iesuitæ omnia faciunt, ut aliis sapientiores credantur.

Id probāt numero librorum à Jesuitis editorū.

verba sunt Tomo 3. Con. lib. 14. c. 15. §. 4. *Patres Societatis tantâ in scribendo divini muneris copia redundant, ut conati in scribendo dici nequeant: & tanta librorum multitudine mundum repleverunt, ut quotquot numerentur omnium aliarum Religionum, scriptoribus Societatis aquari nequeant.* Ista verò Jacobi Kelleri in Cavea Turturis cap. 12. *Societas plus cæteris Religionibus laborat. In cæteris Ordinibus non adeo promti, felices & periti animorum medici reperiuntur. Apostolici gregis Pastoribus non est de aliis Vineæ operariis prospiciendum, ubi Jesuitarum viget sanguis, ardor ac pietas: quorum studia & sudores nemo facile æquare potest: ac propterea Societatis privilegia augeri magis oportet, in quam convenit, quod Sauli Regi de Davide dictū fuit: Quis in omnibus servis tuis, sicut David, fidelis & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua? Et* cap. 16. *Nihil profecto purius est & elegantius Societatis stylo. Omnis verborum ornatus, rerum copia & sententiarum dignitas in Societatis eruditionem commigravit. Methodum Iesuitarum Gravina arguit, quasi quisquam illis* PAR *in doctrina vel naturæ ordine accuratè servando exsisteret. Vulgo notissimum est, Societatis auctores in majori UBIQUE pretio florere, quam Gravina velit ac jubeat. Quis non malit istorum voluminibus bibliothecam suam instruere? quis abundantius Lectori satisfacit? quis ita funditus difficultates exhaurit? ac varietate, amplitudine ac robore argumentorum stringit, delectat, exsaturat? Tot illi gemmas & lucidissima priscorum monilia coacervant, sanctorumq; Doctorum gravissima testimonia constipant, ut qui unum de Societate volumen legerit, jam reliquos universos de eodem argumento Doctores admirabili compendio se perlegisse existimet atque exsultet. Monachi peregrinationibus, cantu & aliis devotionibus populum ad sua templa attrahunt. Sed quantis modis potentior est Societas? Usque ad invidiam aliorum & ruborem omnis conditionis & sexus agmina confertim ad ejus templa, orationes, conciones ac celebritates properant, indeq; velut sacratioribus epulis saginata magnam animi pacem & alacritatem domum reportant.* Et cap. 17. *Hæretici tam ex certa majorum & coævorum relatione, quàm præsenti oculorum fide ac testimonio compertum habent, quod Bellarminus asseruit, gravia, multiplicia & omnibus nota à Regularibus sive Monachis scandala profecta, paucissimos piè victuros, pluri-*

Tum utilitate ac fructu laborum suorum. Jesuitæ sūt in Ecclesia plane incomparabiles Omnes alios superant styli elegātia. Et Methodo. Et aliis laudibus.

Monachi parum hominib9 utiles; Jesuitæ plurimū.

Hæretici merito Monachos infamant.

plurimos salutem perdituros. Hæretici maxime in opinione confirmantur, quod intra suarū regionum fines nihil generosum & excellens (in Monasteriis) *sed meri pepones, allia & nasturtia nascantur. Societati Jesu non est periculum, ne post aliquot annorum centurias sibi multum dissimilis appareat. Habet enim aromata à putredine præservantia.* (Cap. 14.) *Nepotes majoribus suis neq; in pietate, neq; in disciplinæ constantia, neq; in doctrina, neq; in ministeriis vel latum unguem unquam cedent, ac in multis etiam superabunt.* His consentanea sunt, quæ abhinc quadriennium Germaniæ Jesuitæ *in judicio duorum Theologorum, in Placida Disceptatione & Justa defensione* gloriosè de suis laudibus, contumeliosè vero non modo de Monachorum nostri temporis, sed etiam de veterum Ordinum vitiis & delictis prædicarunt. Verbi gratia: *In Societate nunquam defuerunt, neq; deerunt MULTI viri doctrinâ, prudentiâ, virtute atq; Apostolico spiritu præditi. Hæretici clamant, Monachos esse inutilia terræ pondera, ventres pigros, stupidas pecudes. Non esse Monasteriorum bona à suis majoribus fundata pro hominibus inutilibus, otiosis, ignavis. Inverti à Monachis Fundatorum intentiones: esse bona illa ad publicam utilitatem impendenda, fundandas ex iis Scholas, constituenda ex illis stipendia Concionatorum, pauperum studiosorum, & eorum qui curam animarum & sacramentorum administrationem procurant, & similia. Quæ Hæreticorum argumenta VERA sunt & LAUDE DIGNA non ex ea parte, qua instituta Monastica condemnant, sed tamen ex ea, qua contendūnt, MELIUS esse bona illa applicare iis, qui publicam Ecclesiæ utilitatem melius & efficacius procurant,* (id est, Monasteria ademta Ordinibus danda esse Jesuitis) *Eadem à Catholicis merito perpendi ac re ipsa perfici debent. Fateri candide oportet, à nullo hominum genere majus Ecclesiæ Catholicæ in Germania illatum esse damnum, quam ab antiquis Ordinibus. Quid ergo mirum: si Dominus vineæ illis, qui vineam sibi commissam non tantum ab apro fero eam exterminante non custodierint, sed ipsi etiam pro viribus exterminare conati sint* (id est, Ordinibus Monachorum) *si iis inquam amotis vineam suam elocet aliis agricolis* (i.e., si Monachorum opes det Jesuitis) *qui reddant ei fructum temporibus suis? De*

Cū idem fecerit Bellarminus. Jesuitæ non modo sunt optimi; Sed etiā certi semper se tales futuros.

Quæ hæretici jactant de Monachorum moribus & institutis.

Sunt vera & laude digna.

Et à Catholicis imitanda.

Ac Monachorū opes dan-

de Jesuitis.

Ordinibus, i.e. de Monasteriorum incolis eorumq́; vitiis, nimium alij scripserunt: plena sunt archiva, pleni Visitationum commentarij. In Monasteriis multitudo fuit malorum, raritas bonorum. Pharisæi domum orationis verterunt in speluncam latronum. Vetus ibi Regula laudatur, novis moribus vivitur. Pronæ in casum animæ pendent. Sunt ibi ulcera, vulnera, putredines. Societas contrà viget & floret, statq́; in prima Regula fundatoris Ignatij, nihil de prĩstino rigore lenivit, nihil novæ laxitatis admisit. Constitutiones regulæq́; accuratè servantur: omnes in usu sunt, contra nullũ impune delinquitur. Paupertas etiam reddita est adstrictior. Itaq; si hodie Monachi antiquorũm Ordinum sub perito Magistro sepositis omnibus curis Spiritûs renovationi quietè vacare velint, non habent quo se conferant, nisi ad Collegia Patrum Societatis: unde etiam spiritualium meditationum exercitia acceperunt.

Monasteria Jesuitæ dicunt versa in speluncas latronũ.

Sed Jesuitæ sanctitate florent.

Et sine illis nec Monachi boni esse possunt.

CAPUT II.

VEruntamen adhuc quanti ab omnibus pendatur, sibi Societas pœnitendum putat, si tantum ingenio, literis, sapientia, sanctitate & peculiari illa gratia seu privilegio Aromatum putrorem & futurorũ temporum corruptelam ab ipsa prohibentium omnes Religiosos Ordines antecedere existimetur. Itaq; periculum sibi faciendum duxit, si persuaderi sibi homines paterentur, Societatem ipsos etiam Christi Evangelistas, Summos Pontifices, Sacra Concilia, Sanctos Patres, Ecclesiæ ac Scholarum Doctores ac Magistros sapientiâ & rerum divinarum intellectu post se relinquere. Hoc enim si Societas omnibus persuaderet, haud stulte spem sibi faceret, Orbis terrarum Monarchiâ & in omnes Reges, nationes ac populos imperio vel ludibundam se mox esse potituram. Primum istiusmodi Gigantæi conatus specimen Grætii anno 1605. ediderunt in libro, qui non sine venia & approbatione gravium & doctorum Societatis Theologorum ita inscriptus exiit: *Velificatio seu Theoremata de anno ortus ac mortis Domini auctore Johanne Dekerio Societatis Jesu.* De quo operæ pretium est Cardinalis Baronii Censoriam notionem cognoscere, quam appendici Annalis duodecimi totidem verbis inseruit: *Anno superiori Grætij in Stiria editam esse*

Nec tamẽ Monachos modo Jesuitæ superant.

Sed sapientiores etiã sunt, quam omnes Doctores, Patres, Concilia, Põtifices & Evangelistæ.

Eam opinionem primum Gratij palam affectarunt.

Ut Baronius queritur.

pro-

prolixam valde disputationem scimus, quæ non tam nostræ, quam universalis Ecclesiæ Chronographiæ adversatur. Ea ipsa confutatione nostra non indiget, quod piorum aures nec audire saltem patienter admittant temerè præsumtam Novitatem, qua primum contra Lucam Evangelistam affirmetur Christus Dominus baptizatus anno ætatis ejus trigesimo secundo inchoato, cruci vero affixus, cum annum jam ageret suæ ætatis trigesimum sextum. Par erat dignumq; probatum eruditumq; Sacerdotem horum auctorem non circumferri omni vento doctrinæ, sed insistere omnium Sanctorum Patrum vestigiis. Ut sua firmaret, textum Sacræ Scripturæ SÆPE *ut vitiosum correxit*, i.e. religioni non habuit, Dei ipsius tabulas corrumpere, nec minus sacrilegii, quam Falsi se alligare. Sed nempe aliter ista sacra non constant, nec aliis artib⁹, quàm fraude ac violentiâ, magna Imperia parari possunt.

Qui etiã falsi crimine eos accusat.

Itaq; cum Societas judicaret, Patri Joh. Baptistæ Pozæ suo satis fœcundum pectus sortito obtigisse, quo concusso artium fundandæ ac stabiliendæ Societatis Monarchiæ idonearum plena foraca vel vehicula eruptura viderentur: religioni sibi duxit ejus pati ingenium situ corrumpi, ac non potius audendo atque agendo exacui, inque debilitanda & convellenda Conciliorum, Pontificum, Patrum & Scholasticorum Doctorum auctoritate, conficienda verò Sociis divinitatis cujusdam opinione feliciter occupari. Attemperatè verò cecidit, ut vetus illa de B. Virginis Conceptu inter Dominicanos ac Franciscanos controversia multis Jesuitarum libris non multo prius resuscitata Hispaniæ Reges, Magnates & populos ei parti conciliaret, quæ majori erga B. Virginem reverentia ac pietate facilè se commendat. Eam enim Jesuitæ occasionem arripuere minuendi opinionem, quæ de B. Thomæ Aquinatis ingenio ac sapientiâ tot jam sæculis universam Ecclesiam pervaserat, quamque nuper admodum Paulus V. literis ad Nobilitatem Neapolitanam datis hoc Elogio prosecutus fuerat: *Splendidissimus Catholicæ fidei athleta, cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit.* Hunc Clypeũ ut in contemtum adducerent, & Ecclesiæ tandem de manu excute-

Societas ingenio Pozæ utendum sibi putavit ad summæ sapientiæ opinionẽ sibi parãdam.

Per occasionem defendendi immaculatam B. Virginis conceptionem.

S. Thomæ doctrina Ecclesiæ clypeus.

Quem se

suitæ tentarunt Ecclesiæ de manu excutere cuterent, magna passim cum invidia Thomæ opprobrarunt, quod minime satis habuerit impiam de B. Virgine sententiam credere ac docere, quasi Dei mater aliqua temporis parte fuerit Diaboli filia, sponsa Spiritus Sancti fuerit Satanæ ancilla, Angelorũ regina fuerit peccati serva, plena gratiâ fuerit filia iræ, *Exprobrando ei errores.* benedicta in mulieribꝰ fuerit Deo abominabilis, obnoxia maledictioni & indigna altissimo illo fine, cujus causa fuerat creata: sed etiam quod falsi crimen in se admiserit, dum docuit, *Et crimẽ falsi.* esse de Fide, sive necessario credendum, quod eadem Deipara originalis peccati labem in Adamo contraxerit. Eundem levitatis & mutabilitatis notarunt, quod aliàs aliter de hac ipsa cõtroversia statuerit, neq; adeo ab eo abludat illa Spiritus sancti *Et levitatis.* sententia: *Stultus ut Luna mutatur*. Congesserunt etiam ex variis ejus voluminibus complures ejus sententias & opiniones, quas Ecclesia post condemnarit, aut Academiarum consensus hodie pro falsis repudiet. Præterea vero suadendo, orando, obtestando, & tundendo perfecerunt tandem, ut Rex Catholicus missa magni splendoris & impensæ Legatione, Imperator vero omnesq; Catholici Reges & Principes non unis literis Romam datis ab Apostolica Sede contenderent, ut immaculata B. Virginis Conceptio cum credendi necessitate toti Ecclesiæ proponeretur. *Persuadent Regi Catholico ut legatum Romam mittat.* Hoc enim si ex voto processisset, de Thomæ doctrina velut afflicta, deque universo Dominicanorum Ordine, triumphaturi sibi videbantur, hoc amplius autem se ingentem à populis gratiam inituros intelligebant, ut fabulas in Societatis suæ honorem confictas minore negotio cũctis persuaderent: qualis est, quæ in libro de Ignatii vita à Joh. Eusebio Nirenberger Madriti edito fol. 83. legitur. *Vnus præcipuorum finium, quorum causa Societas in hunc mundum missa fuit, est stabilimentum purissimæ Conceptionis B. Virginis, sicut de cœlis revelatum fuit Sancto Fratri Alfonso Rodericio.* *Ementiuntur cœlestes visiones.* Quàm vero justa metuendi causa sit, ne Rodericius iste somnio non de cœlis, sed è Sabinis, aut per eburneam portam misso delusus fuerit, ex iis, quæ mox afferentur, judicari poterit. Huic altera consimilis est fabula fol. 69. *B. Virgo simul cum duobus Jesuitis Petro Fabro & Francisco*

Strada

Strada apparuit Johanni Nunnez de Guzman, eiq́; dixit, si filio meo in tantum servire cupis, ut magis non possis istos sequere, i. e. fias Jesuita. Sic enim omnibus Monachis & Eremitis, etiam Carthusianis & Camaldulensibus, multo eris perfectior, & paulo minor ab Angelis, cum ea sit Societatis perfectio, ut ea major inter homines cogitari nequeat. Sicut eodem libr. fol. 3. totid. verbis gloriantur: *Ignatius fundavit Societatem in tam alto perfectionis gradu, ut sit omnium supremus.* In quo tamen (velut mendacibus usu venire solet, ut madida sint memoria) parum ejus fuerunt memores, quod majores sui anno 1564. *Rectori & Academiæ Parisiensi in Declaratione sua* responderant: *Quoniam nomen hoc Religionis semper hactenus solitum est tribui Monachis ob quandam excellentiorem vitæ rationem, nolumus ut quisquam intelligat, nos esse ad eundem modum Religiosos, nec enim nos dignos esse arbitramur, qui tam sanctum atque PERFECTUM vitæ genus profiteamur.* Itaq; facilius fidem nobis fecerint, istam Fabri ac Stradæ sociam non Dei genetricem Virginem, sed *satam nocte Virginem* fuisse, quam Maro memorat ad turbandam Italiæ pacem à Junone ab inferis fuisse excisam. Paris artificii fabula est ista fol. 11. *Ignatio scire desideranti, satisne Deo grata forent quæ ipse commentatus fuerat, B. Virgo apparuit, & approbavit confirmavitq́; constitutiones Ordinis sui, quas scripserat, quod etiam plus vice simplici contigit.* Et fol. 15. *Rationem & modum fundandæ Societatis statim à principio conversionis suæ Deo docente Manresa didicit. Eo tempore Deus ei revelavit, quomodo Societatem condi vellet, & omnia præcipua instituti capita, sigillatim verò quibus à cæteris Religiosorum Ordinibus distinguitur, sicut ipse Patri Lainez confessus fuit.* Et fol. 21. *Ignatius Chorum* (seu Sacerdotalem Psalmodiam) *in Ordine suo non instituit, quoniam ad Dei servitium aliter convenire censuit, quemadmodum & divina majestas ei revelaverat.* Hæc vanitatis esse plenissima nulloq́; pudore conficta, non uno doceri potest argumento. Ego non nisi tria hîc afferam. Primum cum Ignatius Formulam, ex qua sui viverent, sive Regulam Societatis conscribere pararet, ad S. Benedicti Casinense Monasterium se contulit, ibiq; in solitu-

Gloriantur suam Societatem esse omniũ Religionum perfectissimam.

In quo mendacij propria confessione convincuntur.

Mentiuntur B. Virginem Ignatio apparuisse.

Ignatium à Deo didicisse modum fũdãdæ Societatis.

Quod eorum mendaciũ tribus argumẽtis convincitur.

Primum.

litudine de recessu nomothesiæ suæ aliquandiu vacavit, nonnullis compertæ sanctimoniæ & eruditionis Monachis cùm consilio, tum Bibliothecæ suæ copia eum adjuvantibus. At nihil ille tam longinquo ab urbe secessu, nihil diuturna meditatione, nihil alienis consiliis & libris eguisset, si jam Regulam divinitus didicerat, eamq; à B. Virgine confirmatam fuisse certus erat. Deinde cum in Societate Prępositi Generalis potestas, velut Capitis, sit res majoris, qvam alia omnia, momenti, qvippe in qva totius Regiminis Forma ac velut anima cõsistat, si Ignatius à Deo acceperat regiminis formam, qvam anno 1540. Paulo III. obtulit, & ille ratam esse jussit & confirmavit, cur decennio post eam formam mutavit, & à Julio III. ut Societatis Præposito plurimum rerum potestas fieret, obtinuit? qvod scilicet in priore Formula potestatem Præpositi angustioribus inclusam finibus minus ex Societatis usu esse experientia magistra didicisse sibi videretur. Postremo cum Paulus IV. tumido ore cum Patre Lainez & Salmerone delitigans, Jesuitas ut contumaces, impios & hæreticorum suffragatores graviter objurgasset, qvod Psalmodiam detrectarent, ac nisi in Chorum coacti eam exseqverentur, malum eis comminatus esset, illi non modo ei non regesserunt, sic Deum Ignatio præcepisse, & B. Virginem leges à Deo Societati dictatas pro summa imperii qvod in cœlis habet, ratas esse jussisse & confirmasse, Deo autem & B. Virgini magis, qvam homini, obedire oportere, sed etiam in chorum Socios ad sacram Hymnodiam compulerũt. *Et cantare pares & respondere paratos*: qva de re legi possunt, qvæ in Histor. Societ. part. 2. lib. 2. num. 58. & lib. 3. num. 30. commemorantur: qvod qvi fecerit, obstupescet scio ad tantam Jesuitarum in mentiendo audaciam, cum ipsis etiam Societatis primoribus, qvi summam virtutis ac fidei opinionem apud magnos Principes obtinent, adeo verecundiæ non sit de rebus in propatulo positis ita palam mentiri. Johannes certè Argentus, recoctus ac veteranus Jesuita, & Provinciarum Poloniæ ac Lithuaniæ Ephorus seu Visitator, in libro ad Poloniæ Regem de statu Societatis in eisdem Provinciis c. 17. p. 219. mendacium hoc

Secundũ.

Tertium.

Paulus IV Iesuitas coëgit in choro psallere.

Etiã fide dignissimi inter Iesuitas impudenter mẽtiũtur. Exemplo est P. Argentus.

hoc de Paulo IV. proloqui nihil dubitavit: *Paulus IV. tanti ipse quoq; Societatem & Societatis parentem Ignatium fecit, ut nihil in ea unquam innovari permiserit.* Quod contra in Historia illa legimus: *Pauli IV. jussu TOTA vitæ quotidianæ ratio ac disciplina perturbanda erat, CVNCTAq; suo loco movenda: non pauca satis utiliter instituta posthabenda, ut Choro spatium, quod non modicum occupat, quæreretur. Vrgebat summi imperiũ Principis: nec repugnare, nec saltem exonerare in ejus auribus licebat curas.* Ite nunc Pontifices maximi, ite Reges ac Principes Catholici, & deflexis credite auriculis, quicquid apud vos Jesuitæ de priorum Pontificum erga Ignatium suum veneratione & obsequio gloriantur. Alia fabula in eadem Ignatii vita c.35. p. 107. de mortuo Florentiæ per Ignatium resuscitato narratur, etiam hic legi non indigna, ut explorato ab omnibus judicari possit, unquamne post homines natos Impostores inventi fuerint, quibus Jesuitæ nullo pudore mentiendi falsisq; miraculis opinionem sanctitatis Ordini suo conflandi palmam concedere, ac non potius omnium æruscatorum & captatorum, dolis & improbis artibus instructorum, familiam ducere debeant.

Qui sciens volẽs de Paulo IV. mentitur.

CAPUT III.

Duo ingentia Miracula Florentina, sanctitatem D. Ignatii Loiolæ testatissimam facientia.

FLorentiæ unus de Societate nostra Grammaticæ Magister discipulum castigarat: qui tam indigne id tulit, ut nefandi sceleris magistrum insimularet, cujus causa mox parens ejus ad Rectorem Collegii cũ querimonia accessit (*quippe qui Magistrum filio suo cubiculum pudoris polluisse crederet*) Rector discipulum examinis causa ad se accitum in cubiculo solum reliquerat: ubi ille metuens, ne quid Jesuitæ, documentum aliis daturi, tristiꝰ in se pararent, Dæmonis impulsu cultello, quem penes se habebat, gulam sibi incidit: Qvumq; mox adventantes Jesuitæ totum sanguine suo cruentatum invenerunt, confestim res in tota civitate percrebuit, pervagatus est rumor, discipulum à Jesuitis esse obtruncatum, eo quod magistri sui Pæderastian, seu Sodomiticam libidinem detexisset. Tam insigne

Nunc immensa cavi spirãt mendacia folles.

gne fuit scandalum, ut cunctis nostros pessum premere liberet, nec profecto manus à nostris populus cõtinuisset, nisi Magnus Dux misso satellitio eis præsidio fuisset. Erant nostri in summa angustia, quo se verterent nescientes. Tandem ad opem Sancti Patris nostri Ignatii, velut ad sacram anchoram, confugere eis in mentem venit, & ante imaginem ejus abjecti ac supplices ut ipsis opitulari vellet precibus quæsierunt. O rem miraculosam! Dicto citius adolescens revixit à mortifero illo vulnere persanatus, remq; omnem ut gesta fuerat enarravit. Magistrum suum esse extra noxiam, nec Jesuitas fuisse, qui se vita privarint, sed se ipsum damnatas sibi manus intulisse. Isto MIRACULO tam manifesto populus & discipuli illius parentes omne suum odium in amorem & præclaram de S. Ignatio opinionem converterunt. Cui aliud nullo genere minus accessit MIRACULUM, quod discipulus ita fuit immutatus, ut gratæ voluntatis causa Sancti Patris nostri voluerit esse filius, & in Societatem nostram ingressus fuerit, in qua hodie quoque vivit. DEO GRATIAS.

Jesuitæ de Ignatii miraculis scelerate mẽtiũtur.

Quam verò ingentia sint ista non Ignatii miracula, sed propudiosissimorum & ad mentiendum projectissimorum hominum commenta, facile Principes explorato scire possunt, si Florentiæ exquirere eis libeat, quemadmodum me facere nõ piguit. Etsi enim multis in locis tam prosperum præstigiarum, atq; haud scio an incantationum & carminum magicorum eventum Jesuitæ sortiuntur, ut duplici cæcitatis genere hominibus alioqui minime contemnendis objecto, qui videre sibi videntur quæ non sunt, iidem non videant ea, quæ sunt, quod eorum oculi & aures ad Jesuitas transfugerint, adeoq; literis & consignatis tabulis, cujuscunq; rei velint, testimonium eis impertiantur, cum præsertim qui homines inveniunt, quibus ipsi proposito æternæ beatitudinis præmio Regum parricidia persuadeant, multo minore negotio persuadere aliis possint, ut Societati ad tutandam ejus famam falsum testimonium commodando, non modo nihil piaculi se suscipere, sed etiam de gloria Dei non vulgariter mereri existiment. Florentię tamen non

Multis in locis homines fascinant.

Vt sibi cujuscunq; rei testimonium præbeat.

Et falso testimõio se benefacere putent.

non eundem, quem in Suevia, Tiroli, Bavaria, aut etiam in Regia Iberica, præstigiarum suarum successum adhuc experiri eis contigit. Itaq; qui negotii hujus veritatem usq; à radicibus avet cognoscere, id ipsum haud dubie comperiet, quod mihi homines nobilitate, literis, fideiq; ac virtutis existimatione præcipui Florentiæ anno priore pro satis explorato confirmarunt. Anno nimirum M. DC. XXVI. mense Julio Laurentius Merula, sive Merlus, civis Florentinus, annos quasi viginti tres natus, professione Actuarius, seu Notarius (quem Florentiæ in Fesulani Episcopatus Cancellis videndi mihi facultas fuit) de P. Belisario Tassano Ferrariensi sermonibus, atq; haud scio an similiter scripto distulerat; se illum vidisse cũ puero quodam nobilissimo columbulatim labra labris conserentem, nõ cessante interea officiosæ manus ministerio. Quæ res per totam urbem vulgata sanctissimorum Patrum pudori, ut consentaneum est, incredibiliter gravis accidit, propterea que extrema fecerunt omnia, ut famigerator ille ad opprobrii recantationem seu palinodiam adigeretur. Qui cum sibi à gratia & potẽtia eorum metueret, nupero alterius exemplo territus, quem illi similem ob causam triremis publicæ remo affigendum curaverant, ad loci religione sacri asylum sibi confugiendũ duxit. Jesuitæ tamen tantum illi blanditiarum admovere, ut non dubitarit in ipsorum venire Collegium. Ibi repente Patres patrati magno eũ numero circumsistunt trepidantem, & Palinodiæ formulam ab ipsis conceptam ei exhibent, utq; statim suum ei nomen subscribat postulant: quod ni faciat, sese ut judicis sententia in triremem missus ac remo addictus portisculo & flagro subjaceat, perfecturos comminantur. Ille tot Reverendorum, vel potius Tremendorum, vultu, convicio ac minis perterritus scalpello sibi gulam pectusq; sauciare, multoq; manante sanguine animo linqui, exanimisque tandem concidere. Inde Patribus non modicus oboriri timor, ne si ille exspirasset, ipsi vim negotii invenirent, quod non sui juris hominem domi suæ quasi in carcerem compingere, & terroris denunciatione ad necem sibi consciscendam adigere ausi essent.

Sed Florentiæ id minus ex sententia eis succedit.

P. Tassanus Jesuita Sodomiticæ nequitiæ insimulatus.

Jesuitæ admodũ reverendi & tremendi Patres.

Ille tamen mox sine cujusquam votis ac suppliciis ac miraculo plane nullo, ex animi viriumq; se defectione collegit ac resipuit, satisq; Jesuitæ habuerunt, nihil ab eo negotii sibi porro exhiberi. Plura de rei totius exitu ex amicis illis cognoscere non potui, quoniam vana eos tenet religio seu scrupulositas, ut vulgo vocant, ut Pharisæorum quorundam fermentum detegere & circumscribere, hoc esse putent universi Ordinis existimationi derogare, eiq; de gloria divina ac plurimorum salute bene merendi occasionem eripere. Quem eis errorem & scrupulum ipsi Jesuitæ eximere debebant, quorum ista est sententia in Cavea Turturis cap. 10. *Quando Regulares propriam famam suis excessibus miserè prodigunt, atq; insuper suos commilitones, præsides & totum Ordinem grandi subjiciunt despectui, STIGMATE* (sive infamiæ nota) *omnino digni sunt, quo nominis claritatem amittant.* Similiter in Placida Disceptatione p. 25. *Male agitur, cum integrorum Monasteriorum* (aut Collegiorum) *disciplina taxatur: pejus, cum non corrigitur. Negare manifestam dissolutionem perniciosius est, quam affirmare. Nam qui manifesta negat, & fidem sibi detrahit, & fallendi conatum ostendit. In malo roborantur, quorum vulnera teguntur, quæ tegi non possunt. Quare vitæ spiritualis & civilis ex æquo ignarus est, si indignatur illa, quæ in omnium oculos incurrunt, in ore quoq; hominum versari. Negotiator suas fraudes, miles rapinas, Nobilis fastum utcunq; objici patiuntur. Non sint adeo teneri Religiosi, ut crimen læsæ majestatis esse judicent, si nota mundo delicta taxentur. Ejicienda profecto est illa animi mollities nec aspernanda remedia. Alioquin illi, qui & male vivere volunt, & corrigi nolunt, plus quam Pharisaico supercilio alios despectant.* (cujus rei non aliud illustrius documentum afferri potest, quam ipsorum Jesuitarum exemplũ: quibus dum cæteri Catholicorum, præcipueq; Monachi parcunt, nec ab eorum fermento attendunt, & occulta dedecorũ revelant, quod Protestantibus gaudii & insultationis materiam præbere vereantur, ipsi supercilium tollunt, & Monachorũ peccata ex occultis Inquisitionum seu Visitationum actis sibi comperta, nisi tamen in eo solentes mentiuntur, palam libris editis

Quando & quomodo Jesuitarũ scelera sine peccato manifestari possint.

Ea dissimulare nihil prodest.

Jesuitæ non debẽt esse tam delicati, ut sibi vitia sua manifesta exprobrari doleãt.

editis exprobrare eis non dubitant.) *Hanc ob causam veteres liberrime Religiosorum mores reprehenderunt. Nec ideo scommatis hæreticorum applaudunt. Hi satyricè in Religiosos invehuntur, ut notent infamiâ & pudorem injiciant, veritatem orthodoxam reddant suspectam. Illi paterne monent, ut emendent, ut infamiam male vivendo contractam meliore vita eluant, ut in Dei conspectu humilientur.* Quibus consentanea sunt, quæ in Admonitione illorum de Cauteriata Jesuitarum conscientia, libro Herbipoli ao. 1619. ed. passim disputantur. Tanquam p. 195. *Novit Theologus Christianus, posse incidere tempora, in quibus è re sit & licitum absq; ulla reprehensionis debitæ nota aliorum improba facinora etiam extra judicium detegere: ut quando referũtur absq; temeritate, tanquam sensibilia quædam exempla ad audientium legentiumq; instructionem necessaria vel commoda. Quando recensentur ad majorem illorum, quibus consultum esse volumus, nostræq; commissi sunt tutelæ, vel ordinata caritas exigit, cautelam, ne scilicet à nequam hominibus corrumpantur. Quando prudenter proponuntur ex animi Christiana commiseratione tacti affectus ut alii ad precandum pro criminosis provocentur. Quando scribuntur ob majorem utilitatem in ipsos flagitiosos redundantem &c.* Et p. 218 *Veritatis suscipiendum est patrocinium, & vera illorum adducenda sunt crimina, qui falsis assentantium laudibus ad proborum perniciem personati multis inconstantiæ sunt occasio, non paucis causa interitus.* Etsi autem amicos, ut dixi, vanus quidam metus retinuit, quin alia vulgo minus nota de Florentinis illis Jesuitis mihi renunciarent, ista tamen quæ velut pervulgata illorum fide retuli, dena in narratione de Ignatianis illis miraculis mendacia manifestant. 1. Adolescentem illum fuisse Grammaticæ Jesuitarum scholæ alumnum. 2. Eum magistro suo labem adspersisse. 3. Patrem ejus ob stuprum filio illatum cum Rectore expostulasse. 4. Ipsum ex vulnere vivere desiisse. 5. Rectorem cæterosq; Jesuitas in vota Ignatium vocasse. 6. Ignatium mortuo vitam reddidisse. 7. Istud Ignatii miraculum fuisse evidens & manifestum. 8. Eo miraculo populum Florentinum fuisse commotum, ut Jesuitas plus amaret, plurisque

Id enim saluti ipsorum expedit.

Jesuitarũ facinora etiam extra judicium reprehendere licet.

Ne opinione sanctitatis aliis noceant.

In narratione Jesuitarum de miraculis Florentinis decem numerantur mendacia.

risque Ignatium penderet. 9. Virbium illum factum esse Jesuitam. 10. Eundem in Societate etiamnum vivere.

Caput IV.

His igitur aliisq; consimilibus fabulis avidas passim & propitias se auriculas inventuros sperarunt, si tot Regũ Principumq; allegationibus & literis Pontifici decretum extudissent, quod B. Virginis Conceptum hæreditaria animarum labe ac peccati macula liberaret. Sed Vrbanus Pontifex pro se ipso tanquam privatæ sortis Christianus (Doctorem enim non dicam, cum Theologiæ ne discipulus quidem unquam fuerit) quæstionem illam de B. Virginis conceptione decidere noluit, quoniam haud levem suspicandi causam habuit, si voto Jesuitæ potiti forent, & ipse Regum postulationibus lassatus victas manus dedisset, mox futurum, ut Jesuitæ eadem viâ sibi ad obtinendas alias, quas cum Ordinibus & Academiis habent, controversias suffragatores Principes invenirent, & Hispani novas subinde Sanctorum consecrationes, ac fortassis ipsius etiam Ossunii Ducis Apotheosin ab Apostolica Sede obtinere contenderent (quo consilio videntur de pio Ducis illius obitu & B. Virginis ad eũ in morbo visendum adventu Relationem typis descriptam Romam misisse) propterea omnes illæ Jesuitarum molitiones vanæ exierunt & optato eventu frustratæ sunt: quod fortassis Beata Virgo sui cultus incrementum alienæ ambitionis telum vel instrumentum fieri dedignaretur, aliudque tempus non fictæ pietati magis amicum, nec tam miris simulationum & dissimulationum artificiis involutũ opperiri mallet. Nec tamen propterea Societas animum despondit aut sibi defuit, quin alia via totis viribus D. Thomæ omniumq; Scholasticorum Doctorum auctoritatem everteret, divinæq; & humanæ sapientiæ Monopolium in Hispania institueret. A Rege quippe Catholico contendit, ut novam Madriti Academiam sibi conderet, eiq; dena aureorum millia annui vectigalis constitueret. Ipsa vicissim Hispanicæ juventuti de Nobilitate, quæ frequens eo confluxura esset, omnia non minus bello

Cur Papa noluerit decidere quæstionẽ de B. V. conceptione.

Ne à Jesuitis & Hispanis sæpius inquitaretur.

Iesuitæ ergo alia via divinæ sapientiæ opinionẽ captãt. Per novæ nempe Academiæ in Aula Hispanica constitutionẽ.

bello terra mariq; bene administrando, quam paci idonea per Magistros suos se precepturam pollicebatur. Cum enim Rex terra mariq; latissime imperet, nec minus ei homines maritimarum, quam militarium rerum periti opus sint, quod alii Religiosorũ Ordinum homines, divinis laudibus in Ecclesia diu noctuq; decantandis vacare soliti, nec præstare possint, & nefas quoddam numerent, reliquarum etiam Academiarum Doctores præcipere nec soleant, id sibi cum facile futurum pro magno præstantissimorum quæ habeat ingeniorum numero, tum etiam per patriarchæ seu conditoris sui Ignatii nomothesian licere, ut nimirum non alias modo artes ac disciplinas (demtis Juris civilis ac Medicinæ scientia) auditores suos doceant, sed eis etiam aciei instruendæ, urbium oppugnandarũ, nitrati pulveris conficiendi, globorum missilium effingendorum, tormentorum fundendorum, aliorumq; militarium operum modos ac rationes, hoc amplius etiam omnia maritimi belli munia & nauticæ rei præcepta tradant. Huic Societatis postulationi Vniversitates sive Academiæ Hispaniarum libello ad Regem misso typisq; descripto intercessere: in quo Jesuitas describunt, *ut homines palam avaros, insatiabiles, aruscatores, regiorum vectigalium fures arrogantes, ambitiosos, Principum assentatores, aulicos & negotiis secularibus ubiq; se implicantes, fraudulentos, mendaces, veritatis interversores, infamatores virtutis, vitæ religiosæ hostes, deliciarum amatores, impostores, pietatis velo opertos, lupos in vestimentis ovium, novitatum amicos, Sanctorum Doctorum contemtores, Lutheri & Calvini partiarios ac de hæresi suspectos, pacis publicæ perturbatores, Diabolica industria homines, serpentes ipsosq; Cacodæmones ac omnibus cavendos ac fugiendos.* Duo autem præcipua afferunt argumenta, cur Regi minime expediat novam Jesuitis Academiam Madriti condere, in eosq; tantam auri vim effundere. Vnum, quia Rex ingens æs alienum habeat, ærarium verò funditus exhaustum, ita ut expeditionibus terra mariq; faciendis nequaquam sumtus suppeditare possit: ac propterea sine letali culpa non eum tantos Jesuitis reditus largiri posse, quod eum

In qua se artes belli ac pacis doctores pollicentur.

Artis militaris professio est cõsectanea menti & instituto Ignatij.

Academiarum Hispaniæ publicum de Jesuitis testimonium.

Academiæ Regẽ dissuadẽt novam Jesuitis Academiam condere.

Cum Rex sit totꝰ in ære aliẽo.

Et sine peccato

mortali superfluas largitiones facere non possit.

vel Ludovico Molinæ Jesuitæ credere jubent, cujus hæc verba sunt de Justit. tract. 2. disp. 667. *Hoc loco observandum est, Principes, quando superfluis largitionibus periculo se exponunt gravandi in futurum populos, gravissime peccare peccato mortali injustitiæ ob nocumentum, quod inde irrationabiliter populis parant, qui postea gravandi sunt novis tributis. Quo fit, ut Confessarij & Consiliarij ad expendendum peccatum, quod in Regum prodigalitate intervenit, & obligationem quam in posterum habent continendi se in suis sumtibus, ne tributis populos vexent, non solum debent attendere, quod Reges sua prodigunt, sed simul animadvertere debent, quod se injustitiæ ea ratione exponant periculo gravandi populos.*

Cumq; Iesuitæ sint professi hostes doctrinæ S. Thomæ.

Alterum Academiarum argumentum est, quia Iesuitæ voce & calamo bellum Divo Thomæ indixerint, ejusq; doctrinam, illud Ecclesiæ scutum adversus hæreses, contemtam reddere, proscribere & perpetuæ oblivioni mandare, manuque Regia tantū scelus patrare annitantur. *Asseguramos à V. M.* (inquiunt) *con protestas Christianas, que no es conveniente à vuestra real y Catolica grandeza permittir en sus reinos en su Corte à sus ojos, à su cuesta unas escuelas publicas, adonde por publica profession esten excluidas las doctrinas deste Santo Dotor, con danno de tantos discipulos, que se han de dar desde sus principios no solo por contrarios, si no por enemigos de su doctrina. Esto clamamos, esto defendemos, y esto protestamos a los pios de V. M. y le suplicamos.* i. e. *Omni asseveratione Majestati Vestræ confirmatum volumus cum Christiana protestatione, non convenire regiæ & Catholicæ vestræ magnitudini ut permittat in suis regnis, in sua Regia, sub oculis suis, sua impensa publicas aperiri scholas, unde per publicam professionem exclusa sint sancti istius Doctoris dogmata, cum tantorum discipulorum damno, qui necesse habent inde à studiorum suorum primordiis se non modo contrarios, sed etiam inimicos D. Thomæ doctrinæ profiteri: Istud est, quod clamamus, quod defendimus, quod protestamur & ad Majestatis vestræ pedes abjecti supplicamus.*

CAP. V.

CAPUT V.

SEd ista Academiarum contestatio & obsecratio surdas in *Regia* aures invenit, quod eas Jesuitæ quodam quasi fascino jam obseratas haberent, quippe quas partim quæ auditu jucundissima essent afferendo, partim magnifica & gloriosa de se promittendo implessent. De Jucundis existimari potest ex Disputatione publica Madriti habita, quam edito libello indixerant hàc inscriptione? *Conclusiones Politicas de baxo del ampa- ro del Rey nuestro sennor.* Id est: *Conclusiones Politicæ sub Regis Domini nostri præsidio.* Ibi enim *in genere præcipue* ac rebus relictis *duo Regi* docent *cordi esse oportere, ut feliciter imperet, Commercium & Imperium: nam istos duos esse cardines, in quibus Reipublicæ machina vertatur.* Commercium statuunt *esse exercendum non modò*, ut aliorum Regnorum mos fert, *à plebeiis & mediocris fortunæ hominibus, sed etiam ab Hispaniæ Magnatibus & Regulis, similiterq́ à Clericis. Magnates tamen ministrorum eam ad rem operâ uti oportere. Clericos etiam, non quidem ut plus, quam honesto victui satis sit, lucrifaciant, sed ut egestatem & mendicitatem effugiant, in honesto aliquo contractu nonnullam temporis partem rectè occupare.* Quod autem Clericorum nomen de suæ Societatis hominibus intelligi velint, ipsa eorum verba declarant in libello Florentiæ edito a. 1630. cujus hæc est inscriptio: *Militia sacra Evangelicæ pacis ad Illustrissimos Reverendissimosq́ Dominos Sacræ Congregationis de Fide propaganda Cardinales au- ctore P. Fratre Salvatore Vitale Sardiniensi, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ.* Ejus p. 27. & 28. hæc Jesuitarum verba Cardinalibus recitantur: *Necesse est commercia fingere Mercaturæ, ut facilior ad Japones pateat aditus, & conversationis oportunitas, & familiaritatis occasio intercedat. Oportet habere facultates & opes, ut Ministri se melius conservare possint, eosq́ allicere, & ad Evangelij retia trahere* (quod est ad sinistram, non ad dextram navigii rete mittere, velut Apostolis Christus præcepit Joh. 21.) *Oportet ire conformes in habitu & provincialibus uti vestibus, ne mox novitas eis terrorem incutiat & horrorem, & ne infidelibus rigorosum, difficile & asperum videatur Evangelicum institutũ:*

Rex & Aula à Jesuitis fascinati.

Iesuitæ Regi auditu grata proposuerunt.

Mercaturam exercendam ab Hispaniæ Magnatibus.

Et à Jesuitis.

Mercaturã Jesuitæ habent pro opere Apostolatus.

Similiterq́ vestiũ cultum & mollitiẽ.

quibus verbis Franciscanus ille succlamat: *Deus sancte, fortis, misericors & immortalis miserere nobis. Evangelium ipsum, Apostolorum ipsorum hæc detestantur exempla. Ecquis nesciat hoc esse Diabolicum stratagema? quem fidelem atq; Evangelicum professorem latet, hoc repugnare Christi doctrinæ? Erubescat Evangelicus miles, nō ad militiam, sed ad Mercaturam incumbens. Ministri Evangelij calcant imperia, si pauperes sunt, si negotiationes & mundi commercia non habent. Prædicatur Indis nudus Jesus in cruce. Rex exigit ut prædicans sæculi pompas abjecti amictus humilitate condemnet. Prædicatur Christus mendicus & pauper. Ratio postulat, ut prædicator non sit Mercator. O Domini Cardinales, quantum facer, si calamus esset liber! Adhibete medelam. Scitis ô proceres sacrosancti, scitis quam maxime, quantum Indiæ animabus detrimentum afferat cupiditas*, sive Jesuitarum mercaturam facientium avaritia. Atq; hinc satis jam certi sumus, Jesuitarum in sua illa Disputatione hanc fuisse mentem ac sententiam, Regis Catholici, ut feliciter imperet, magnopere interesse, ut Hispaniæ Magnates ac Jesuitæ, longo jam Indicorum commerciorum usu docti, mercaturis exercendis magnos quæstus faciant, & Indiarum opes in Hispaniam importent: quod minime ingratum ad multorum aures accidisse vero est simillimū; sed qui nihil oraculo illo terrentur Ecclesiastic. 26. *duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt. Difficile exuitur negotiator à delicto, & non justificabitur caupo à peccatis.* Quod deinde ad Imperium attinet, eadem Disputatione Potentiam ad id requiri, Regem docuerunt: *Potentiam* verò *esse facultatem regna, quæ jam Rex possideat, retinendi, & aliena obtinendi* sive *acquirendi.* Qua doctrina sua auctores Regi fuerunt, ut ideo se Regem à Deo constitutum crederet, ut non modo sua retinendi, sed aliena quoq; invadendi & occupandi facultatem haberet: *Sua* quippe *retinere, privatæ domus: de alienis certare, regia laus est: nec regnandi causa jus violare crimen habet, dū cæteris rebus pietas colatur.* Nimirum huc vivi pervenimus, ut publicos tam nefariæ ac sceleratæ doctrinæ Magistros, religiosæ professionis homines de Christi Servatoris nostri contubernio

Paupertatem & vestitus asperitatem aversantur.

Jesuitæ Regi suadent tyrannidem & vim injustam in alios.

nio glóriantes, in Aulis videremus. Quod utinam ne usquam dociles inveniant discipulos, sed faciant Principes, quod Ecclesiastic. 28. monentur: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire*, persuasumque habe, aliena obtinere non potentis Principis sed impotentis ac violenti Prædonis opus esse. Et Proverb. 1. *Si te lactaverint* (falsaq; Politica imbuerint) *peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamq tendiculas contra insontem frustra. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis: ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem. Ipsi quoq; contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas. Sic semitæ omnis Avari animas possidentium rapiunt.*

Eorum doctrinã Deus auribus excludi jubet.

Caput VI.

Jesuitæ multa Regi de se præclara & magnifica promittunt.

QVàm porrò magnifica & gloriosa de se promiserint, quantũq; veræ laudis, ac multiplicis utilitatis Regem omnemque Hispaniam exspectare à se jusserint, vel ex paucis, quæ nũc afferentur, existimare Lector poteris. In libello Madriti edito *de zelo S. Ignatij in religione sua instituenda fol.* 38. scribunt: *Platonis Respublica fuit umbra Societatis Jesu. Quod Socrates & Plato judicarunt esse Ideam impossibilem Reipub. bene institutæ, hoc exsecutus fuit Ignatius, sic tamen ut prætermitteret mendas sive imperfectiones, quas nonnulli in illa Repub. calumniati sunt.* Communes nempe mulieres habere fuit una imperfectionum, cujus causa calumniam Platonis Respublica sustinuit. Sed legem illam Platonis, qua in virtutis præmium jus sit bene de Repub. merentibus formosos adolescentes deosculandi, nec Aristoteles calumniari ausq est, aut imperfectionis condemnare. Ignatius igitur mulierum communionem, calumniam effugiens, in Societatem suam non induxit, sed pro eâ Merita & Præmia inter Socios communia esse voluit, cum Societas non minus, quàm Christi Ecclesia, *ædificaretur ut civitas cujus participatio ejus in idipsũ*, i. e. Bellarmino interprete, in quo omnes omnia parti-

Suam Societatem gloriantur esse Rempub. Platonis.

Dempta communitate mulierum.

Sed salva libertate formosos pueros osculãdi.

In Societate merita

Et præmia sint communia. participant, sive habent communia, Ps. 121. Itaque quisquis Societatis membrum est, dicere cum Davide potest Ps. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Quod autem ad Merita Sociorum attinet, in tres ea classes describi possunt, præteritorum, præsentium & futurorum, ut referatur laudabilis ille mos Lacedæmoniorum Reipublicæ, quæ plusquam ulla alia ad Platonicæ, similiterq; ad Ignatianæ similitudinem accessit. In ea tres visebantur chori: primus Senum, quorum hæc audiebatur cantilena: *Nos quondam eramus incliti bello viri*: alter mediæ ætatis hominum sic de se gloriantium: *Tales sumus nos: fac si vis periculum:* postremus puerorum, qui hoc modo de se pollicebantur: *Virtute utrosq; nos multum anteibimus.* Jam ad reipub. ab Ignatio conditæ perfectionem attinet, nec præmium Platonis lege decretum benè merentibus deesse, & alios in alienorum meritorum communionem admitti. Cui consequens est, ut non minus Præmia sint inter Socios communia. Minime proinde mirandum est, si Tassonus, quamvis adhuc unus juniorum, ac fortassis magis de Patrantium, quam de Patratorum Patrum numero, nec tam re, quam spe sociis se commendans, in Platonici illius præmii partem seu participium & consortium venire voluit.

Merita Societatis triplicia.

Præterita. Præsentia Futura.

Osculum formosorum est præmium meritorũ. Cujus particeps P. Tassonus fieri voluit

Eodem libro fol. 21. Ordinem suum tantò Monastico statu perfectiorem esse gloriantur, quantum Angelos Deus antecedit. Ita quippe prædicant: *Etiamsi Chorus* (sive sacra Hymnodia) *sit occupatio & officium Angelorum, tamen salvare homines* (quod faciunt Jesuitæ) *est officium Dei.* *Sed in eo mendacii Spiritum S. arguunt, qui Ecclesiæ salutem Angelicæ hominum justorũ psalmodiæ acceptam conferre hoc modo docet Ps. 117. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.* Et Isai. 60. *Occupabit salus muros tuos & portas tuas laudatio* sive Hymnodia. Isai. 62. *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes: tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei* (id est, nec sinatis Deum quiescere, sed diurno nocturnoq; cantu vestro tamdiu eũ inquietate) do-

Jesuitæ gloriãtur se tanto præstantiores Monachis quantum Deus superat Angelos.

**Psalmodia Monachorũ est salus Ecclesiæ.*

donec stabiliat Jerusalem eamq; ponat laudem in terra, i. e: donec stabilis & gloriosa appareat Ps. 50. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Ps. 68. *Ego pauper & dolens* (sive carnem meam abstinentia, jejuniis, vigiliis, laboribus, cilicio, frigore & nuditate castigans,) *laudabo nomen Dei cum cantico, magnificabo eum cum laude. Et placebit Deo super Vitulum novellum, cornua producentem & ungulas*, id est, gratior erit illi, quàm novitius Clericorum Ordo, Principum favoribus velut Cornibus armatus & triturans Bos, prataq; aliena depascere postulans.

Monachorũ cantꝰ & mortificatio lõge DEO gratior. Quam Jesuitarum tritura.

Ibidem fol. 34. contendunt, suam vivendi rationem esse dissimillimam vitæ Johannis Baptistæ, *qui venit non manducans panem, neq; bibens vinum, & vestitus de pilis camelorum, atq; hominibus lamentabundus, ut plangerent*, imitari autem sese ordinariam Christi vitam, ita ut victu & vestitu nihil intersint communi honestorum hominum consuetudine, & *convivia magna divitum* (Luc. 5.) libenter obeant, familiariterq; *cum Principibus & Pharisæis manducent ac bibant, & tibia canant, ut homines saltent* choreasq; agitent, ac fortassis *lætentur cum male fecerint, & exultent in rebus pessimis* (Proverb. 2.) quod non paucos facere videmus, quorum pedes Jesuitis tibiam inflantibus ad saltandum pruriunt. Verum quidem est, Christum hominibus *tibia cecinisse ut saltarent*, velut ipse Matt. 13. prædicat Sed cantus ejus longè à mollibus & cinædicis Jesuitarum cantiunculis abfuit, nec Iönicos motus ullos in audientibus excitavit. *Beati pauperes* (canit ille) *quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum mala dixerint vobis homines & persecuti vos fuerint propter me: Gaudete & exultate* (& præ lætitia sussultate ac tripudiate) *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*, Matth. 5. Nec minus tamen ejusdem tibiæ hic exauditus fuit sonus: *Eritis odio omnibus propter nomen meum. Omnis, qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo, qui autem perseveraverit usq; in finem, salvus erit* (Math. 10. Joh. 16.) *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram* (Luc. 6.) *Impossibile est apud homines, ut dives intret in regnum cœlorum*

Jesuitæ fatentur se dissimillimos Joh. Baptistæ. Sed gloriantur se Christi similiores. Convivia obeundo. Christꝰ cecinit tibia ut homines saltarent.

Ejus cantilenæ.

Matth. 19.

Jesuitæ Violentiã Johannis rejiciunt ut Euãgelii impedimentũ. Matth.19. Quid de cantilena ista dicemus? numquid non est, ut ait Poeta: *Tibia funestæ tristior ista tuba?* Jesuitæ tamen ibidem contendunt, Violentiam illam, qua Johannes in corpus suum usus fuit, esse potius scandalo hominib9, quam adjumento, ac potius in destructionem, quam in ædificationem. In quo Christum ipsum mendacii insimulant, qui perspicuè affirmat, ejusmodi Violentiam unicum esse telum ac medium ad homines rapiendos & regno cœlorum inferendos: *A diebus Johannis Baptistæ usq; nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Idem Matth.9. suos discipulos non minus, quàm discipulos Johannis, jejunaturos prædicit. Ac propterea Paulus imitationem violentiæ Johannis ab omnibus Dei ministris ita exigit 2. Corinth. 6. *Exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in necessitatibus* (sive in defectu & inopia rerum victui & amictui necessariarum) *in vigiliis, in jejuniis, in laboribus, quasi morientes, & ecce vivimus.* Et 1. Corinth. 4. *Vsq; in hanc horam nos Apostoli & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & instabiles sumus, colaphis cædimur, blasphemamur, maledicimur, purgamenta hujus mundi facti sumus. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quo ipso satis declarat quàm parum Christi & Apostolorum vita ordinaria cum honestorum hominum consuetudine congruere soleret. Sed Jesuitæ cum Christi & Apostolorum nolint esse similes, volunt Christum & Apostolos facere similes ipsorum.

Christus tn, eam requirit ut necessariam. Quod similiter Paulus fecit. Idq; vitæ Christi & Apostolorũ docet esse consentaneũ.

Caput VII.

Jesuitæ gloriãtur de novis suis invẽtionibg in fide propaganda. Qualis est Mercatura. Et com-

Eiusdem libri fol.13. gloriantur, *hoc Societati proprium esse, ut quotidie novas promat inventiones, quibus homines ad Deum perducantur*: quod etsi minime pro vano ab eis prædicari, vel ex Mercatura paulò prius apparuit, per quam homines ab erroribus & peccatis ad pœnitentiam & fidem adduci planè novum nec unquam à tot sæculis auditæ inventionis esse fatendum est: tamen hinc etiam multò fit manifestius, quod docent, Terrore & Armorum usu Evangelium hominibus persuaderi oportere. Germaniæ quidem Iesuitæ in *Iusta defensione*

sua

sua pag. 127. & 129. Monachos irrident, qui Apostolos & majores suos imitati verbi prædicatione & vitæ sanctimonia hæreticos ad Ecclesiæ communionem reducere conentur. Istius enim modi non nisi inter ethnicos usum aliquem esse: *Hæreticos verò edictis*, MINIS *atq; etiam* POENIS *compelli oportere. Hic optimus est hæreticos convertendi modus.* Est igitur quod Deum pudeat, optimum hunc modum ante exortos Iesuitas ignorasse. Ille enim de modis instaurandæ ac reædificandæ domus suæ (per quam homines ex hæresi, velut Iudæi ex captivitate Babylonica reduces significantur) suam sententiam ita expresserat Zach. 4. *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, manus ejus perficient eam, non in exercitu, neq; in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus.* Idem etiam Eliæ demonstravit, se non futurum neq; in spiritu grandi seu vento turbine, neque in terræ motu, neque in igne 3. Reg. 19. *Spiritus grandis & fortis, subvertens montes & conterens petram ante Dominum: sed non in spiritu Dominus. Et post spiritum terræ commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus* (id est, non prosperat eorum conatus, qui sibi ipsis suaves in alios violentia utuntur) *Et post ignem sibilus auræ tenuis: in quo erat Dominus, mitis & humilis corde: non tristis, neq; turbulentus, qui non clamat, nec contendit, nec audit aliquis in plateis vocem ejus.* Matth. 11. & 12. Cui quam cordi sit, ut sibilo auræ tenuis homines ad Ecclesiam congregētur, ipse Zach. 10. ita testatus est: *Sibilabo eis & congregabo illos, qui redemi eos: & seminabo eos in populis, & recordabuntur mei. Confortabo eos in Domino, & in nomine ejus ambulabunt.* Sed nova Iesuitarum inventio nihil spiritum Dei, nihil sibilum auræ tenuis moratur, sed exercitum, sed robur, sed ignem adhiberi consulit. Ac propterea manifestissimo & incredibilis impudentiæ mendacio in libro de Vita Ignatii ao. 1630. Madriti per Iohannem Eusebium Nirenberger edito fol. 4. hoc de Ignatio narratur prodigium, cujus nec Ribadeneira, nec alii prius meminerant, *eum cum baptizaretur, & parentes ejus incerti essent, quod ei nomen facere deberent, infantem alta voce nomen sibi esse voluisse*

pulsio hominum per arma carnalia.

Quem modum Deus ante Jesuitas ignoravit.

Ecclesia quomodo ædificanda.

Deus non probat media violentiæ humanæ.

Sed lenitatis & mansuetudinis.

Jesuitæ ferro & igne fidem propagare conantur.

Horribile eorū mendaciū de

Ignatio, quasi Ignem jacio, ut significaret officium, quod in Ecclesia esset sortiturus. In quo quam scelerate mentiantur, nemini esse obscurum potest, qui sciat, ei non *Ignatio*, sed *Innico* vel *Eneco* nomen usque ad ætatem adultam inde à baptismo fuisse. Ita quippe in vita ejus familiaris & Secretarius ejus Ribadeneira scribit lib.1.cap.1. *Innicus, quem posthac Ignatium appellabimus, eo quod nomen istud cæteris nationibus sit communius, & in ipso notius atq; usitatius.* Similiter Orlandinus in Historia Societatis Iesu lib.8.num.46. *Appellabat alicubi populus homines Societatis Hispano vocabulo Inighistas.* Et lib.5.nu.62. *Ajebant aliqui Vallisoleti Ignatianos, sive patria voce Inighistas jam apparuisse.* Et Melchior Canus Canariensis Episcopus, summæ pietatis, eloquentiæ, doctrinæq; nomine clarissimus, (quod ipsi quoque Iesuitæ fatentur) *in Judicio de Secta Jesuitarum*, quod ejus manu conscriptum adhuc exstat, & ad convincenda plura Orlandinianæ Historiæ mendacia usui esse potest, Ao. 1548. Ignatii familiaris & amici veteris ita meminit: *Ad fundatores Societatis istius accedam: eorum Generalis est quidam Innicus, qui fuga ex Hispaniis evasit, cum eum Inquisitio vellet comprehendere, quod de Illuminatorum hæresi esse diceretur. Pervenit Romam, seq; à Papa judicari petiit, & quoniam non aderat, qui eum accusaret, fuit absolutus.* Nihilominus usq; eo Jesuitæ sibi de Igne suo placent, ut *Pyrotechnicam*, id est, artem ignes missiles conficiendi eorumq; jaculatione domibus & civitatibus incendia & conflagrationes inferendi, velut Ignatii sui non minus menti & instituto, quam nomini consentaneam, profiteri audeant. In qua quantum profecerint, Illustrissimi Principis Landgravii Leuchtembergici filius, si minus oculatus, saltem exoculatus testis esse potest. Is enim cum superioribus annis apud Iesuitas educaretur, & ludos eorum in honorem Ignatii nuper consecrati seu canonizati actos spectaret, ejusmodi missilis ignis ictu alterum oculorum amisit. Vnde hominibus dicacibus joci nata occasio, ut dicerent, *alios Divos in festivitatibus suis cæcos illuminare, sed Ignatium videntes excæcare.* Quod ipsum hodie plurimorum ejus Sociorum opus est, quos velut *Ignigenos*

Nomine Ignatii. Loyola nō vocabatur Ignatius sed Innicus vel Eneeus.

Iesuitæ Pyrotechnicam profitentur.

Quam excellentes ejus sint artifices. Alij sancti cæcis visū reddūt, Ignatius vidētes excæcat.

genos illis Comici verbis recte quis à se amoliri & in malam rem abire jusserit:

Apage illum à me: nam ille quidem Vulcani irati est filius:
Quaquà tangit, omne amburit: si prope astes, calefacit.

A Jesuitarum Igne procul fugiendum.

Caput VIII.

SEd non contigit Hispaniæ nostræ, ut ab Incendiario isto hominum genere sibi caveret, quod jure metui potest, ne unum sit suppliciorum illorum, quæ ingentibus suis peccatis & sceleribus minime jam furtivis, sed præter oculos euntibus commeruit, & velut *civitas illa sanguinum* (Ezech. 22.) *appropinquare fecit dies suos, & adduxit tempus annorum suorum, ut eam Deus daret in opprobrium Gentibus & irrisionem universis terris.* Vberrimam quidem certè risus materiam exteris præbuit libello Madriti edito, qui sic inscribitur: *Summary breve argumento del Dialogo que se haze à Su Magestad en el principio de las lecturas de sus Reales estudios.* Id est, *Summarium ac breve argumentum Dialogi, qui exhibetur suæ Majestati in principio Acroaseon* sive *Lectionum publicarum in Regia ejus Academia Madriti nuper condita.* Ibi enim (ut alias fœdissimas adulationes & ineptias pædagogici ordinis ac judicii hominibus dignas præteream) variæ artes ac disciplinæ enumerantur, quarum Acroases Iesuitæ se facturos promittunt: quibus vel nominandis Regem & omnes Aulicos ejus hiantes inducunt, etsi earum rerum Doctores tanto hiatu dignos in omni Hispania & Italia nullos se habere, ac propterea à nationibus Hispano nomini parum æquis mutuandos, & ex Gallia ac Germania arcescendos fore, ipsi quoq; apertè ferunt: in quo stupor Hispanorum, satis scio, omnem exterorum admirationem exhauriet. Operę pretium fore videtur, nonnulla ex libello illo hic recitari, ut qua Regem impostura circumvenerint, annuoq; vectigali decem millium aureorum emunxerint, omnes perspiciant. quos tamen velim præmonitos, mysterio non carere, quod Patri Pozæ veterum Philosophorum placita explicandi data fuit provincia. Eum quippe idoneum judicarunt, qui commendan

Hispania peccatis suis meruit à Jesuitis ludus jocusque fieri.

Jesuitarũ sophistica & thrasonica pollicitationes.

Pozæ dat provinci-

am vete-rum philosophorũ placita docendi. dandis & corroborandis Pythagoreorum, Platonicorum, Cyrenaicorum, Stoicorum, Epicureorum & aliorum opinionibus, Aristotelem imposturæ, calumniæ & sophisticæ suspectũ faceret, omnemq; philosophiæ ejus auctoritatem dilueret, eoque pacto D. Thomæ doctrinam velut philosophiæ Peripateticæ superficiariam, in ejusq; fundo immolitam & exstructam, subrueret, labefactaret ac prorsus tandem everteret: ut inde *Infallibilitatis*, quam vocant, prorsusq; divinæ & falli nesciæ doctrinæ opinio Societati accederet. In illo porro Acroaseon sive Lectionum Academiarum summario ista promittunt.

Ad subruendam Aristot. & D. Thomæ doctrinam.

Promittunt Criticam.

Acroasis Eruditionis sive Humanarum literarum, in qua legeretur pars illa, quam Criticam appellant. Id est, quæ occupatur in judicando, interpretando & emendando difficiliora classicorum auctorum loca cujuscunq; facultatis: similiterq; in docendo ritus moresq; antiquos, eosq; sub certis rerum generibus collocando. Hanc acroasin faciet Pater Jacobus Sirmondus hora tertia pomeridiana usque ad quartam.

Cujus imperitum in Hispania habẽt neminem.

Hoc autem loco ista addita opportuit: Cùm enim jam paulo minus centum annis literarum humaniorum ludos in Hispania apertos habuerimus, & circiter decies centena aureorum millia annui reditus eo nomine capiamus, nec tamen inter nostros vel unus exstet, qui præter pervulgatas illas scholarum cantilenas quicquam in literis Humanitatis noverit, nedum ille literarum Censuram profiteri possit: necesse habemus Sirmondi Galli hominis operam advocare, etsi eam Societas tuendæ existimationi suæ sibi non minus in Gallia putat necessariam, cum alium vix habeat, quem tot Gallis, partim Catholicis, partim Calvini asseclis, ingeniorum cultu, & interiorum literarum abundantia conspicuis opponat.

Ac propterea Galli hominis operam offerunt.

Acroasis Chronologiæ & Historiæ quà divinæ, quà humanæ. Eam faciet P. Dionysius Petavius quarta pomeridiana usque ad quintam.

Promittunt Chronologiam & Historiam.

Mirum est autem, eum inducere animum potuisse, ut Sociis Hispanis tot jam annis in expectatione esset, qui præsertim sibi apud doctissimum Jurisconsultum Alphonsum Caranzam,

Caranzæ Diatribæ

ami-

amicissimum meum. LOCA LAUTIA parata esse sciret: ex cujus *Diatribis*, quæ jam sub prelo sudant, haud scio an Jesuitæ passuri sint sibi probari, quod Caranza contendit, confidentiâ, temeritate, maledicti exercitatione, inscitia, mendaciloquentia, aliisq; id genus artibus Jesuiticis post homines natos neminem unquam ante Petavium fuisse. *in Petavium.*

Acroasis prima Mathematum de Cosmographia speculativa, ejusq; partibus (quæ sunt Sphærica, Astronomica, Geographica, Hydrographica, Gnomonica de Computo Ecclesiastico & profano, omniumq; istorum usus & exercitatio in Astrolabio, sphærâ, globis, mappis & ephemeridibus, tabulis cæterisq; instrumentis) de Geometria speculativa ejusq; partibus in elementali linearum, arcuum, circulorum, triangulorum, solidorum, superficierum, transformationum, proportionum, &c. & usus istorum omnium in modo mensurandi, inq; instrumentis ad ista necessariis. Acroasin istam faciet P. Paulus Guldin matutina decima ad undecimam. *Promittunt Mathematicam speculativã.*

Prudenter tempus Patri Guldin, homini Germano, descriptum arbitror, qui fortassis à prandio jam ventre cibis distento ac flore Liberi, præsertimq; Iberico, saucius cœlum & terram non æque internosset, facileq; radio aut gnomone aberraret, aut lineas mendose duceret. Nec alium temere ex omnibus Hispaniæ Jesuitis corrigendo ejus errori idoneum inventum ibi crediderim præter eum, quem jam dixi, Johannem Eusebium Nirenbergerum: si tamen non patrissat, nec testiculi vena ulla paterni adhuc in illo vivit eumq; vinosiorem facit. Veruntamen pater ejus, domo Germanus, nunquam ne pitissando quidem & sorbillando dies producens viri boni officium ebibebat: cujus candoris si hæreditatem filio reliquisset, non ille sibi de sua ac Sociorum versutia usq; eò placeret, ut rogatus, cur Veneti tam pertinaciter Jesuitas imperii sui finibus submotos, nec unquam postliminio admissos velint, cum Catulliano Egnatio Celtibericum renidens responderet: Nec philotechnemata sive artificia Societatis Rempublicam Venetam effugiunt, nec vicissim patricias Reipubl. Venetæ artes Societas ignorat. *Sed ejus doctorem ex Germania volũt accire.* *P. Nirenbergeri pater multò vir filio melior.* *Cur Veneti Jesuitas in perpetuũ proscripserint.*

Mirificæ prorsusq; basilicæ Jesuitarum professiones.

Acroasis secunda Mathematum, in qua præcipientur ista: Arithmetica cum suis partibus, nempe de numeris theorica, de supputationibus, proportionibus numerorum, algebra, &c. cum istorum usu. Optica & partes ejus, de objecto puta & speciebus visibilibus, & de visione cum omni sua latitudine, Ichnographia, Orthographia, Scenographia, Sciographia, aut Scioterica & Anaclastica cum suis partibus, quæ sunt Catoptrica, Specularis, Dioptrica, de admirandis ostentis per refractionem, de Radiatione & visione mixta. De Iride, de areis & coronis lunaribus & solaribus, de colore apparente, de varijs meteoris lucidis cum praxi & instrumentis ad omnia ista pertinentibus. Musica cum suis partibus, de objecto, speciebus & auditus in omni sua latitudine. De varijs modis harmoniæ Phrygiæ, Ionicæ, Doricæ, Lydiæ, &c. De echo & Musica refracta cum exercitio tam vocali, quam instrumentali. Statica de ponderibus gravitate & levitate: cujus partes sunt elementaris, Centromatica, Isorroprostatica, Ligostatica, Manganaria (cū suis speciebus quæ sunt Mochlostatica, trochleostatica, onostatica, sphenostatica) hydrostatica, aërostatica, Pyrostatica, Polymesostatica cum usu & instrumentis ad omnia ista pertinentibus. Machinaria, architectonica ejusq; partes, quæ sunt architectonica specialis, mechanopoëtica, hydraulica, pneumatica, automatopoëtica, nervospastica, de Zygijs & Ochrimenis. Hanc acroasin faciet P. Gregorius de S. Vincentio tertia pomeridiana usq; ad quartam.

Deûm immortalium vitam! quam prodigiosæ Sapientiæ homines habet ista Societas! præ quibus Anglicanus ille Hippias, *Robertus Flud*, vix dignus sit, qui palum figat in pariete. Quis non vel auditis istarum artium & scientiarum nominibus properè manibus demissis fugiat, totas Dæmonum legiones Zoroastreis carminibus evocatas mox in conspectum se daturas extimescens? quod si quis minus meticulosus cassis terriculis nihil moveatur, Plautinum illum Juris Apiciani consultum sive Cocum fortassis exaudire sibi videbitur de divinis condimentis suis ita paratragœdiantem:

Jesuitæ Coco

Meas qui esitabunt escas quas condivero,
Hi vel ducenos annos poterunt vivere.

Nam

Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi, *Plantino*
Aut si polindrum, aut macidem, aut sancaptidem, *simillimi.*
Eæ ipsæ sese patinæ fervefaciunt illico.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta sunt.
Terrestres pecudes cicimandro condio,
Aut happalopside, aut cataractria.

Quod autem Coco illi regeritur: *at te Jupiter, Dÿq́ omnes perdant cum condimentis tuis, cumq́ omnibus istis mendacÿs. Istaccine causa tibi hodie nummum dabo?* ejus simile multò majore merito à Rege audire Jesuitæ poterant: Ite in malam crucem cum vestra Isorroprostatica, polymesostatica, trochleostatica, sphenostatica. Ite hinc inanis cymbalum juventutis. Istaccine causa postulare audetis, ut dena aureorum millia vobis dentur annua?

Quid à Rege Catholico audire meruerint.

Acroasis de opinionibus & placitis veterum Philosophorum, in qua docebitur, quousq; illi lumine naturali in omnibus supradictis facultatibus pervenerint, quantumq́ ex sacris literis lucri sibi fecerint, nec minus quanto Sanctis Patribus antiquis usui fuerint. Hanc acroasin faciet Pater Johannes Baptista Poza quarta pomeridiana usq; ad quintam.

Acroasis de re Militari, in qua præcipietur doctrina & forma militiæ veteris & hodiernæ, & species Mathematum arti isti subordinatarum, quæ sunt Tactica sive de acie instruenda, *Topographica, Machinaria militaris, organopoëtica, Pyrotechnica, &c. Hanc acroasin faciet P. Hermannus Hugo quarta pomeridiana usque ad quintam.*

Quibus occupationibus Jesuitæ psalmodiam compensent.

Caput IX.

Istarum Acroaseon descriptionem ac velut proplasma cum quidam Regis Consiliarius vidisset, unam adhuc desiderari animadvertit, qua nec Societas, nec Regia videtur carere posse. Ipsi enim Jesuitæ cum rationibus plus quam mathematicis, tum irrefragabili sacrarum literarum auctoritate docere possunt, ad Regis dignitatem pertinere, ut seipsum ac domus suæ familiares non modò largo, prolixo ac magnifico, sed etiam

Regē decet victus copiosus & lautus.

lauto,

lauto, bene condito & jucundo victu accipiat, cum de Salomone haud dubie ad Reges exemplo docendos scriptum sit 3. Reg. 4. *Erat cibus Salomonis per dies singulos decem saginati boves, & viginti boves pascuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum atq; bubalorum, & avium altilium*, sive gallinarum, perdicum, pavonum, alitum Phasiacorum, & gallorum spadonum in sagina habitorum. Non defuisse autem illi Cocorum ad genium egregiè sapientium operam, ex his ipsius de se verbis apparet Ecclesiast. 2. *Feci mihi cantores & cantrices, & delicias filiorum hominum, & omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur: Sapientia quoq; perseveravit mecum.* Quis autem fuit Salomo, si cum Catholico Rege nostro comparetur? *cujus potentia* (ut Jesuitæ dicunt in vita Ignatii) *ad INFINITVM major est, quam fuit in mundo ullius Regis.* Jam nec Jesuitis asperum victum convenire, hæc ipsorum verba satis evincunt, quæ Franciscanus ille in libro, de quo paulò prius dictum est, Cardinalibus recitat: *Necesse est Christi Ministros curare se molliter, partim ut melius se conservare possint*, (ne scilicet sint oligochronii aut brevis ævi) *partim ut homines ad se alliciant*, nec à se voluntates eorum alienent, ut Johannes fecit cum scruposo victu & absurdo vestitu suo, qvem propterea Pharisæi oderunt, Dæmoniumq; habere insimularunt, *& fecerunt in eo quæcunq; voluerunt*, (Matth. 17.) sive odium ei in Herodis regia capitisq; discrimen conflarunt. Quibus aliam Jesuitæ rationem in cumulum adjiciunt apud Bæzam Tom. 7. cap. 7. lib. 2. *Si ipsi sacco, cilicio, nuditate & fame se Dei ministros exhiberent*, (quod Paulus se fecisse gloriatur, aliosq; similiter facere jubet, 2. Corinth. 6. & 11.) *sæpissime eventurum, ut Hypocrisis notam* incurrant, nilq; adeo proficiant. *Itaq; satius esse, ut gladium verbi acutum calceis & pallio*, id est, habitu cum honestis hominibus communi, *obtegant.* Atq; hæc scilicet est una *novarum inventionum, quas Societas quotidie excogitat, ut homines ad Deum perducat.* Nam Apostoli, & post eos Monachi, qui totam ferè Europam à paganismo & hæresi ad Christum

Cui necessarius est Cocus ad genium sapiens.

Jesuitis quoq; lautior victus convenit Vt se ipsos conservent. Et alios ad se alliciant. Ne odiũ hominum incurrãt.

Ne Hypocritæ videantur.

Ista est una novarũ inventionũ Jesuiticarum.

per-

perduxerunt, *circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudine, errantes in montibus & speluncis, & in cavernis terræ*, Heb. 11. Sed nimirum alia nunc sunt tempora: alia ætas alios mores postulat. Scriptum est 1. Reg. 2. *Recedant vetera de ore vestro.* Isai. 43. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio nova.* Isai. 65. *Non erunt in memoria priora & non ascendent super cor. Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores.* Levit. 26. *Vetera novis supervenientibus projicietis.* Etsi autem istis locis omnibus non de moribus Christi testium agi manifestum est, quos Christus *à diebus Johannis usq; nunc violentos esse oportere* (id est duritiem & vitæ Johannis asperitatem semper exhibere) docet, *ut rapiant regnum cælorum:* cui Christi præcepto se ac reliquos Apostolos paruisse Paulus ita prædicat 1. Corinth. 4. *Usq; in hanc horam* (id est, inde à diebus Johannis & à suscepto Apostolatu) *esurimus, sitimus, nudi & instabiles sumus, mundi hujus purgamenta sumus,* quod ipsum ab omnibus Christi ministris hoc modo exigit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* etsi denique Christus *testes suos* etiam in novissimis diebus *saccis amictos*, sive Johannis & Eliæ vivendi modo conspicuos fore prædixit, & Psal. 91. *testimonia Dei credibilia fieri dicuntur ob sanctitudinem domus Dei in longitudine dierum*, hoc est, ob sanctitatem non tantùm à principio prædicationis Evangelicæ, sed etiam omni tempore in Christi testibus apparentem; quoniam sunt *lucernæ* nō modò caritate intus *ardentes*, sed foris etiam *lucentes*, ut non modò Deus, sed etiam *homines videant opera eorum bona, & glorificent Deum* per fidem & pœnitentiam, Joh. 5. Matth. 5. Jesuitæ tamen velut novi generis Apostoli externam corporis vexationem, interna Spiritus domitura & castigatione redimere se jactitant, neq; in eo Paulum morantur, quod de se scribit 1. Corinth. 9. *Ab omnibus abstineo, & castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne forte dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Satis autem habere se significant, quod Pater eorum videt in abscondito, quanto cordis dolore ac gemitu, tantum *ad majorem Dei gloriam*, cuticulam curent mollius, &

Quam Christ9 & Apostoli ignorarunt.

Qui externam corporis vexationem putarũt necessariam.

Sed Jesuitæ præferunt internam mortificationem, cuj9 nox conscia sola est.

in hoc saltem sint Apostolici, quod hæc Apostoli verba longe rectius in ipsos, quam in Monachos ex formula viventes conveniant Ephes. 5. *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Itaque ut eadem opera cùm Aulæ Regis, tum Societatis Collegiis consulatur, & ad nutriendam ac fovendam novorum Apostolorum carnem aliquid afferatur adjumenti, idem ille Regis Consiliarius ad supra commemoratas Acroases unam adhuc adjiciendam censuit in hunc modum:

Corpus a. nutriunt & fovent.

Apicio de re Culinaria: en que se ha de le er el modo de guisar bien las comidas para los enfermos y ceun para los estomagos gentiles y delgados. P. Lorenzo Forer, Confessor, Consejero, Maestro de Casa y de Cozina, y de anciano del Consejo de Estodo del Obispo de Augusta, en las horas de recreation despues de comer.

Propterea decet eos profiteri artem Culinariam.

Apicius de re Culinaria: in qua acroasi præcipietur modus rectè condiendi cibos pro infirmis, atq; etiam pro stomachis gentilibus & delicatis. Acroasin hanc faciet P. Laurentius Forerus, Confessarius, Consiliarius, Oeconomus, Culinæ antistes & primus in Consilio status Episcopi Augustani, horis recreationis, postquam exemta fames epulis, mensæq; remotæ.

Cum præsertim excellentem ejus magistrũ habeant P. Forerum.

Caput X.

Fieri potest, ut quantus vir sit Forerus, Socii ejus nondum probe habeant cognitum, & in ipso quoq; verum appareat, quod ille apud Comicum ait:

Vt summa sæpe ingenia in occulto latent!
Hic qualis Imperator nunc privatus est!

Etsi fortassis hoc tantum ejus talentum ignorãt.

Non quidem dubito, quin ex Eristicis & contentiosis ac decretoriis nonnullis libris, quos tam in hæreticos, quam in Catholicos emisit, compertum satis habeant, eum de altercandi, conviciandi, mentiendiq; palmâ nato nemini temere concedere oportere, adeoq; ad conservandam & amplificandam Societatis Monarchiam quantivis pretii operam navare posse. Hæc tamen quota laudum ejus est particula! Longe majora sunt & ampliora, quæ de fœcundo Patris Forioli ingenio & pecto-

Et tãtum in altercando ac mentiendo eum putant excellere.

pectore Societas sibi polliceri potest. quis unquam æque promeruit, ut hoc Spiritus Sancti elogio exornatus credatur? *Vir Belial fodit malum, & in labiis ejus Ignis ardescit. Homo perversus suscitat lites & verbosus separat Principes. Vir violentiæ seducit amicum suum, & facit eum ambulare per viam non bonam.* Proverb.16. Hic enimvero est vir Violentiæ, non quidem illius, *quam regnum cœlorum à diebus Johannis usque nunc perpetitur* (nam animæ suæ haud alius est suavior, nemoque carnem suam æque fovere ac nutrire cordi habet) sed ejus, quam à condenda ac stabilienda Christi Monarchia longissime absuturam Isai.9. sic prædictum fuerat: *Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superabis, sicut in die Madian* (id est) Hæresis & impietas tanquam diaboli jugum, onus, virga & sceptrum à collo & humero populi auferetur non violentia armorum carnalium, sed virtute divina, sicut Madianitarum jugum & virga ablatum fuit ab Israelitis per Gedeonis milites non nisi buccinas in ore & lampades in manu habentes, quarum buccinarum sonitus & lampadum conspectus Madianitas ita perterruit, *ut mutua se cæde truncarent & fugerent* Jud.7. quo significatum fuit, Hæresibus non aliter finem allatum iri, quam per Verbi prædicationem & perfectissimam caritatem in manibus sive operibus lucentem, cum *Caritas sit fortis ut mors, & lampades ejus lampades ignis atque flammarum,* Cant.8. Caritatis ergo tam fortis *ignem fugient Principes*, sive errorem magistri, *& gladio non hominis*, sed spiritus *cadet Assur, & convertentur qui in profundum recesserant filij Israel*, Isa. 31. mutuisq; dissidiis hæretici interibunt, etiamsi Catholici nullam in eos vim faciant, *quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis* (id est Catholici armorum violentia prædam diabolo eripere sive Hæreticos convertere, & quemadmodum in Hebræo est Ps. 72. *operti vestimento violentiæ, pallio Zeli & ultionis vestibus induti.* Isai. 59. *panem egentium, qui vita pauperum est defraudare*, sive Monasteriorum opes in alios usus convertere conentur, quod qui facit, *homo sanguinis est, sanguinemq;*

Præclarū de illo Spiritus Sancti Elogium.

Hæreses vincendæ sunt sicut Madianitæ.

Per homines verbo & perfecta caritate armatos. Non per carnalia Principū arma.

Quibus non nisi bella civilia excitantur. *nemque effundit*. Eccl. 34. tum incendium excitabunt, & igni cibum, seu civili bello alimenta præbebunt) *Parvulus enim natus est nobis, cujus Principatus factus est super humerum* seu patientiam *ejus*, id est, quia Christo Monarchia non nisi per patientiam conficitur, nec aliter forti armato seu Diabolo præda aufertur. *Melior enim est patiens viro forti* (Proverb. 16.) id est, efficacior est Christi patientia, quam Diaboli potentia. Itaque *Christus diabolum vult vinci per patientiam.* *Christus per patientiam cucurrit propositum sibi certamen & proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, Heb. 12. Et Deus Diaboli spolia patientia ejus in præmium sic promiserat Isai. 53. *Pro eo quod laboravit anima ejus, & iniquitates multorum ipse portavit, ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia*, quod ipsum nõ minus hodie facit, reliqua passionum suarum in ministrorum suorum carne implens, velut de se prædicat Paulus Col. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & in carne mea impleo ea, quæ desunt passionum Christi, pro corpore ejus, Ecclesia*. 2. Timoth. 2. *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur in Christo.* Ac propterea idem Paulus, *Patientiam signum Apostolatus* vocat 2. Corinth. 12. & Dei servis Patientiam præscribit, ut per eam alios adversus hæresin præmuniant, alios jam deceptos ex diaboli captivitate liberent, 2. Tim. 2. & 4. Sed Forerus iste tanquam *Vir Belial*, id est, sine jugo animique indomiti, cujus humerus oneri & collũ jugo Christi minime subjicitur, Patientiam Apostolicam ignorat. Itaq; *fodit malum*, inque Decreto Comitiorum Imperii, quo Religionis pax convenerat, una cum pari ac gemino germano suo P. Laimmanno an Codmanno, seu stercoreo viro, & ad Forioli sui foricas appositissimo, multum ac diu scrutando eum tandem effodit sensum, de quo Catholicorum prius nemini facile in mentem venerat, per quem jus fasque esset Catholicis in diversæ Religionis homines vim facere, & pœnis eos ad Ecclesiæ communionem vel reluctante conscientia compellere. Quod ergo amicus ejus, qui animam ei tradiderat, *per viam non bonam ambulavit*, violentis ejus consiliis auferri se passus, quod *separati* & internecino bello collisi *sunt* Germaniæ *Principes*, quod tantum in

Quæ est signum Apostolatus. *Sed eam pessime Forerus odit.* *Et mala omnia Germaniæ effodit.* *Principes*

unir-

universo Romano Imperio incendium exarsit, ab igne in labiis ejus ardente id omne ortum fuisse rectè creditur. *Ecce quantulus ignis quam magnam silvam incendit? Et lingua* Foreri *ignis est, universitas iniquitatis, quæ maculat totum corpus, inflammat rotam nativitatis ejus, inflammata à gehenna. In ipsa benedicit Deum, & in ipsa maledicit homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ejus ore procedit benedictio & maledictio sicut ex eodem foramine dulcis aqua & amara.* Eundem certe hominem privatis, quas ipse vidi, literis *virum* vocat *integerrimum & bonum Christi militem, cœlitus in Germaniam missum, ut rem Catholicam consiliis suis erigat & stabiliat, & adversus Hæresin nova Tropæa statuat, seq; in intimis præcordiis & candidissimo pectore eum amare, & quo par est cultu tantum virum venerari & colere* testatur: quem libris editis semidoctũ, futilem, nullius pretii facileque omnium mortalium sacerrimum describit: qui tamen vir tantus Cimicis tam fœtidi contactu digitos inquinare merito aspernatur, rationem habens non quid illum audire oporteat, sed quid se dicere dignũ sit. *In tauros Lybici ruunt leones: non sunt papilionibus molesti.* Multum ratio fugit Carduum Libani, si Cedro Libani persuasurum se putat, ut filio suo filia ejus uxor detur, ipse mox à bestiis transeuntibus conculcandus, 2. Paral. 25. Interim pro illo ab Apostolo sibi Forerus responsum putet: *Si Zelum amarum habes & contentiones in corde tuo, noli gloriari & mendax esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica,* Jacob 3. Vidi etiam literas, quas ad quendam Cæsaris Consiliarium dedit, quibus animos Cæsarianorum inflammare conatur, *Heldi animos* jubens *eos induere:* qui velut ex Scioppii *Heldo redivivo* apparet, Carolo Quinto auctor fuerat ferro, igne ac laqueo in Protestantium Principes vindicandi, etsi Scioppius in ejus libri præfatione, sicut etiam in *Ecclesiastico adversus Angliæ Regem*, perspicuè monet ac denunciat, fidem Protestantibus datam servari oportere, nec impune Catholicis futurum, si eam virium suarum fiducia deserant, & Protestantes per vim ad fidem com-

inter se collisi. Et plus quam Trojanum incendium excitavit.

Lingua sua diabolica eundem hominem summis afficit laudibus. Et indignissimis consectatur conviciis.

A quo tn. velut Cimex merito contemnitur.

Forerꝰ faces turbis ministrat.

Scioppius semper fidei Protestantibus servandæ ac pacis auctor fuit.

pulsos velint: tantum eos hortatur, ne novam transactionem Passaviensi similem extorqueri sibi patiantur, sed tuendæ pacis veteris formulæ fortunas omnes sanguinemq; ipsum Deo freti impendant: qui etiam in *Scaligero Hypobolimæo*, ac multo prius *in libello ad Pontificem Clementem Octavum*, qui typis descriptus exiit, operosè docuerat, Hæreticos & qui eis credunt, non eodem omnes ordine habendos esse, nec sine peccato Protestantes indiscriminatim hæreticos appellari posse, cum multi eorum sint honesti, religiosi & innocentes, qui simpliciter bonoque animo errent, nec alicujus boni temporalis causa in errore pertendant, Ecclesiæ præceptis obedire paratissimi, si per conscientiam eorum infirmam id eis facere liceret, & bene secuturi, si Pastores ante eos vadant, & exemplo ad veritatem & salutem duces se præbeant. Probat quidem S. Augustini sententiam & Ecclesiæ consuetudinem *in errore securos ac negligentes terrendi ac docendi, & ut intrent compellendi*, dum tamen videant Ducem, quem sequantur, & doctrina non sit *inanis, nec in sermone tantum, sed in virtute, & in Spiritu sancto & in plenitudine multa*, 1. Thess. 1. & 2. sive *in ostentatione spiritus & virtutis*, 1. Corinth. 2. adeoque Pontificem monet, magnæ cautionis esse, ne in fide errantibus terroris adhibeatur medicina impedimentis prius non remotis, qualia esse dicit, vitiosissimos & depravatissimos Cleri mores: qui nisi prius emendati sint, detrimentum ingens ad Imperium Romanum ex violentia erga Protestantes redundaturum contestatur. Atque ista jam ab annis plus triginta fuerunt Scioppii consilia, quæ illum Clementi Octavo probavisse, eoque nomine ab ipso & primariis quibusdam Cardinalibus gratiæ non minimum iniisse publicæ privatæq; tabulæ fidem faciunt, quæ in *Amphotidum* libro leguntur. Sed ad Forerum redeo, cujus etiam *Consultationem* vidi in Regiam Cæsaris ab eo missam, qua Cæsari auctor est, *ut jus patrocinij sive Advocatiæ in multas Ecclesias ac Monasteria Electoribus Saxoni & Brandemburgico ereptum aliis largiatur, ut Brandemburgico eligendi Imperatoris jus abroget, ne Palatino nisi religione sua ejerata unquam*

Protestātes indifferenter pro hæreticis habendos non esse docuit.

Voluit quidem errantes compelli intrare.

Impedimentis tn. prius remotis.

Aliter id testatq; est fore reip. funestū.

Ejus sententiā Papa & Cardinales quidam probarūt.

Forerus Cæsari

quam ignoscat, ne Regem Romanorum de servanda Religionis pace jurejurando adigi permittat. Tanta denique fuit Incendiarii istius violentia, ut Cæsar ejus tandem pertæsus Confessario* suo interdixerit, ne ullas ejus literas in posterum sibi recitaret, sed suas sibi res habere eum juberet.

violentiæ in Protestantes auctor fuit.

* *Suaque importunitate Cæsari bilem movit.*

Caput XI.

AD ista ejus basilica accedit ingens animus in contemnenda quantumvis justa infamia, excutiendoq; strenuo scrupulo, alienæ offensæ sive scandali occasione injecto. Monet quidem Paulus, Dei servo curandum, *ut sit irreprehensibilis, ut qui ex adverso est*, sive Hæreticus, *vereatur nihil habens malum dicere de illo* (Tit. 2.) *ut que provideat bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (2. Cor. 8. Rom. 12.) jubet *ab omni mala specie se abstinere* 1 Thess. 5. *nemini ullum dare offendiculum, ne* ipsum Ecclesiæ *ministerium vituperetur* (2. Cor. 6.) jubet *quæcunque amabilia, quæcunque bonafamæ, si qua virtus* (bene agendi) *si qua laus* (bene audiendi) *hæc cogitare.* Sic enim *Deum pacis fore cum suo ministro*, ut nempe *inimicos quoque ejus convertat ad pacem* (Proverb. 16.) sicque exemplo ejus comprobetur sententia illa Proverb. 15. *Fama bona impinguat ossa*, id est, hominis virtutem corroborat, ut consiliis & verbis ejus tanto amplius sit virium: suo denique Paulus exemplo docet potius carnib⁹ in omnem vitam abstinere, quam earum esitatione cuiusquam infirmam conscientiam ad peccandum ædificare, aut quovis modo scandalum cuiquam objicere, ut ille sive exemplo invitatus comedat, quod per errorem manducare nefas esse credit, sive male de comedente cogitans, eumque judicans, aut etiam odio habens, caritatis legem migret, seque letalis culpæ alliget 1. Corinth. 8. *Videte, ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Non enim in omnibus est scientia* (ut sciant, idolothyta, seu carnes, quas Gentiles idolis sacrificarunt, à Christianis sine peccato comedi posse.) *Si quis ergo sic infirmus in fide viderit eum qui habet scientiam* in

Servos Dei decet proximorũ scandala diligẽtissime cavere.

Famamq; bonã sibi cõservare.

Quæ potẽtissimũ est mediũ homines Christo lucrandi.

Propterea etiam à licitis abstinendũ est.

Ne licitorum usu infirmi scandalizentur.

in idolio recumbentem nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur sive incitabitur *ad manducandum idolothyta?* (fortassis enim cum illo edet, ne ægrè illi faciat, etsi se manducando peccare putat) *Et peribit infirmus frater per tuam scientiam propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Et Rom. 14. *Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est, noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda* (& à Christianis sine peccato esitari possunt) *sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.*

Aliter contra caritatẽ peccatur.

Forerus nec infamiam nec scandalũ quicquã curat.

Modo Vẽtrem suũ molliter curare possit.

Cujus causa Aulas sectatur.

Contraq; Ecclesiæ interdictum carnibus vescitur.

Etiamsi plurimi eo scandalizantur.

Sed Forero nec scandali, nec infamiæ metus quicquam facessit negotii. *Nihil rumorem facit, dum sit Rumen qui impleat*, impendioque magis ei placet Saturionis Comici philosophia, quem cum filia monuisset cavere *ne ad paupertatem ejus adrigraret Infamia*, quod non perinde ut filia, inimici famam ferant. *Ferant*, respondet ille, *eantque in maximam malam crucem. Non ego inimicitias omnes pluris facio, quam si nunc mensa inanis apponatur mihi.* Itaque noster hic Saturio plus Famis, quam Famæ metuens, & communem cum Collegis victum velut minus lautum aut non satis copiosum fastidiens, occultum sibi commeatum ex Collegio in Aulam Principis sui faciendum curavit, ut quotiescunq; ei libuerit, foris prandere & cœnitare, atque etiam abnoctare, carnibusq; electissimis per omnes esuriales aut pisculentas totius anni ferias, profundũ ventrem suum implere, meroque vetustate edentulo ætatem irrigare panticesque madefacere possit. Etsi autem Aulæ familiares, aliosque exinde plurimos non mediocriter ex eo offendi & scandalizari intelligit, ita ut passim de illo eiusq; causa de omni Societate in sermonibus detrahant ac murmurent, vel Ecclesiæ legem de abstinentia & ieiunio cõtemnant,

neque quemquam eâ teneri sentiant, vel quod peccatum tamen putant id Religiosi hominis & Theologi exemplo committere non dubitent, & uno quovis modorum istorum pereant fratres, propter quos Christus est mortuus: ipse tamen hac una re scandalo eorum satis provisum cautumque putat, si Ventriculum plus æquo frigidum sibi causetur contigisse, quem cibo potuque foveri & calefieri oporteat. Cùm enim Pharmacopæus antè fuerit, quàm Societati nomen dedisset, eaque occasione arti Medicinæ plusculum studii impenderit, atque etiamnum longè ad curam corporis tuendamque sanitatem sese attentiorem præbeat, quam in eo ferendum videatur, qui mundo & carni mortuus Apostoli verbis profiteri de se debeat, *Mihi vivere Christus est, mori lucrum: dissolvi & esse cum Christo, multo magis melius*, Phil. 1. minime temerariam hominibus suspicionem movet, se diabolo in Medica acroasi dare operam solere: *Ecce diabolus Physicam docet, ecce Medicus factus est, de complexionibus loquitur, infirmitates diversas si teneatur Religio* (& secundum Regulam jejunia & abstinentia observentur) *generari prædicat. Sed quare hoc? non ut mederi velit, sed ut occidere possit. Videt ex subtractione ciborum Luxuriæ vires posse minui. Ideo non tardat minari ægritudines*, ait Hugo de claustro animæ cap. 2. At enim Jesuitæ Patris sui Ignatii exemplo docentur Medici imperio non minus, quam Dei mandato, magis etiam, quam Ecclesiæ præcepto obedire. Ille enim cum ipsa sexta feria majoris hebdomadæ, sive die Veneris septimanæ sanctæ, pulli gallinacei manducatione ventri consulere à Medico jussus fuisset, mori præoptasset, quam contumacem erga Medicum inveniri, cœcæque obedientiæ votum non optima fide exsolvere. *Obediendum est*, ajebat, velut in vita ejus Maphæus auctor est. Quo præcepto omnes Jesuitas Medici vocem, supremam legem putare docuit. Si ergo Forerus diabolo utatur medico & medicinæ magistro, minimè difficulter sibi ab eo Davidis exemplum ad imitandum proponi persuaderique patietur, quod 3. Reg. 1. sic narratur: *Rex David senuerat, cumq. operiretur vestibus, non calefiebat. Dixe-*

Et de tota Societate detrahant.

Atque etiam exemplo ejus peccent.

Frigida ejus excusatio.

Plus studet corporis, quam animæ sanitati.

Quia diabolo Medicinam profitenti se in disciplinam dedit.

Qui discipulos

docet vetrienium fovere complexu puellarũ.

Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus Regi adolescentulam virginem, quæ foveat eum, dormiatq; in sinu suo & calefaciat Regem. Et invenerunt Abysag Sunamitiden, adolescentulam speciosam & pulchram nimis, dormiebatque cum Rege, & ministrabat ei, Rex verò non cognovit eam. Sed quoniam nec in Collegio, nec in Aula ejusmodi remedii adhibendi datur commoditas, facile Medicorum ei sententiam Magister suus probaverit, egelidum corpus & stomachum Pueri, quam Puellæ calore efficacius foveri, nec ejus fomenti copiam in Aula ei deesse posse, in qua præsertim ipse sit Tapanta, ac simul digitis increpuerit, omnes aulæ familiares nutui paratos habeat, & ad Regis sui ministerium, præcipue cubicularium, quoscunque ipsi libuit pueros admittat: qui etiam grabatum ei sternere, utque satis ei fultum sit curæ habere, atq; in privato conclavi cœnitanti cyathissare solent. Quod cum ipse & alii non sine suspicione narrantem audissemus, Trajani Imperatoris optimi in mentem mihi venit, quem Historicus in pueriles quidem amores proniorem fuisse agnoscit, hac tamen excusatione culpæ eximi putat, quod nulli puero vel adolescenti per vim illuserit, sed non nisi voluntarios amores exercuerit. Sed Cardinalis Baronius eam oppido frigidam perditamque excusationem judicans, *Quis*, inquit, *negaret Imperatori?* quippe penes quem spei metusq; causæ inveniantur, quibus ejus quod collibuerit obtinendi facultas continetur.

Vel potiꝰ puerorũ. Quorum in Aula Forerꝰ copiam habet.

Cum ipse in eam pueros admittat, velut eorum Admissariꝰ. Quorum nemo facile ei negaverit, saltē Cardinalis Baronii judicio.

Caput XII.

Forerꝰ ne quã facere nõ modo potest, sed velle etiam merito creditur. Cum in corpore

VOluntatis porrò in Forero satis magnum videtur argumentum ejus Cupedia sive Gula, quam vocant, illud libidinis seminarium. Si enim ulla apud nos, ut esse debet, Sanctorum Patrum est auctoritas, qui non modo nulla prorsus jejunia voluntate sua suscipit, sed etiam incerto ac fortasis ementito ventriculi refrigerati prætextu Ecclesiæ præcepto imperata solvit jejunia, & quotidie se replet Carnibus, potu quoq; meri exotici, & ab extremis usque Gadibus magna impensa advecti venas inflare gaudet, nec eum qua Catholicorum,

rum, qua Protestantium quicquam movet scandalum, cum si- *habeat libidinis seminariũ.* ne ullo peccati metu cujuscunque nequitiæ & libidinis, cuius ei copiam suppetere apparet, suspectum habere possis. Si placet, hac de re S. Hieronymus audiatur, cujus verba sunt: *Esus carnium & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium est libidinis:* ac propterea *nos* (Religiosi) *quorum conversatio in cœlis est, repugnantem carnem, & ad libidinum incentiva rapientem inedia subjugamus. Illi arbitrantur Carnes sanitati congruas, qui volunt abuti libidine, & in cœnum demersi voluptatum ad coitum semper exæstuant,* & puellas quidem ac mulieres, si sint, non aspernantur (quod sexum à Deo creatum injuria afficere & contemnere sit religio) sin earum defiat copia, *unum quod rebus restat egenis,* Horatiano utuntur consilio *de impetu in vernam faciendo,* ut rumpendi effugiant periculum, nec surdis auribus illud Apostoli Foreri magister instillet: *In Christo non est masculus, neque fœmina. Omnes enim unum estis.* Iterum Hieronymus: *Si quis existimat & abundantia ciborum potionumq; se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, & versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, se ipsum decipit, frustraque quidam SIMVLANT salva fide & pudicitia & integritate mentis se abuti voluptatibus, cum contra naturam sit, copiis voluptatum sine voluptate perfrui. Quid necesse est nos JACTARE pudicitiam quæ sine comitibus & appendiciis his, continentia & parcitate, fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum & animæ subjicit imperio, ne quod aliis præcipit, ipse non servet: & Adolescentula fervente cibis corpore de castitate secura est?* Forerus Iberico vino venas inflatus ac stomacho sagina naviter cædenda distento, ne Vena ejus tenta aliquo subire gestiat, securus est? *Cùm totum illud domicilium interioris hominis escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis iam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur* Foricarum seu *latrinarum.* Si Tertulliano credimus, *nihil tam in proximo superest, quam ad lasciviam sapere,* nec magis Forire, quàm Forere velle. Similiter S. Augustinus: *Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis: nam ibi continua pugna, & rarior victoria.*

Cumq; tũ nulla ei de scandalo cura sit.

S. Hieronymi de Foreri libidinibus judiciũ.

Putat castitatẽ ab eo simulari.

Quod ipsũ S. Augustino videtur.

 Quan-

Quanti & quales Episcopi & Clerici post confessionem & victoriarum calcata certamina, post magnalia & signa mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, (sive in fornicationis, adulterii aut Sodomiæ peccatum lapsi esse) *cum volunt in navi fragili navigare?* (sive peccandi occasionem non effugere) *quantos Leones domuit luxuria, quæ cum sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. Quod columnæ cæli ceciderunt, sanctissimi illi Eremitæ, multorum annorum experientia probati, in solitudinibus morantes, ætate provecti, immo & miraculis coruscantes? Et tamen eos de fastigio conversationis cœlestis mulieres deturbarunt. Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior. Cedros Libani, Duces gregum* (id est, Episcopos, quos virtus exaltaverat) *sub hac peste cecidisse reperi: de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii, vel Hieronymi impudica turpitudine.* Et S. Gregorius Magnus: *Plerique certaminis ordinem ignorantes Gulam edomare negligunt, & cætera vitia expugnare nituntur. Sed dum venter non restringitur, simul cunctæ virtutes per carnis concupiscentiam obruuntur. Hinc est quod non alius quilibet, sed Princeps Coquorum* (Foreri geminus germanus) *muros Hierusalem destruxit*) Nabuzardan puta qui in Græco dicitur Princeps coquorum, 4. Reg. 25.) *quia Venter dum non restringitur, virtutes animæ perdit*, hominemque minimè aptum facit regno cœlorum, quod non nisi ab iis rapitur, qui in Ventrem utuntur violentia. Sanctus denique Bernardus: *Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico utar. Abstinebo & à Carnibus, ne dum mihi nimis carnem nutriunt, simul & carnis nutriant vitia. Panem quoque ipsum cum mensura sumere studebo, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat.* Isti ergo Sancti Patres, sicut & alii (quorum verba afferre longum fit,) non modò Forerum à plurimis Cupediæ, voracitatis & vinositatis ejus consciis in nefariæ libidinis suspicionem vocari & *Foratorem aut Inforatorem* censeri non nollent, sed neque S. Carol. Borromæi Confessarium Jesuitam crimine absolverent, qui commiserit, ut eum puer cubicularius ipsius Caroli nequam secum fecisse insimulare auderet,

Quem experientia id docuit.

Eadem S. Gregorij est sententia.

Et S. Bernandi.

Jesuita S. Caroli Confessarius So

deret, quique crimen pessimum in eum conferenti crederent, inventurum se speraret, velut in quadam Divi vita Mediolani edita legitur. Nam vel suspicioni in homine Religioso locum dari, culpa haudquaquam vacat. Sic enim debet virtus ejus lucere, ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum de illo dicere. *Frustra irascitur obtrectatori, si ei obtrectandi materiam ministret. Beatus, qui tam sanctè tamq; graviter disposuit vitam suam, ut de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum adversus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo: nec fingere quisquam ausus est, quod à nullo putat credendum esse*, ait S. Hieronymus epist. 4. qui etiam Jesuitas suo de se judicio contentos, & alienæ existimationis contemtores authadiam arrogantiamque suam hoc modo dedocet: *Caveto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Quod si dixeris, Mihi sufficit conscientia mea: habeo Deum judicem, qui meæ vitæ testis est: non curo, quid loquantur homines: Audi Apostolum, Provideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Pari modo S. Bernardus: *Esto, sis continens: sed ego suspicione non careo. Tolle scandali causam.* Sed Caroli Confessarium neque ipsius Sancti vita, neque ista aliorum Sanctorum monita movere potuerunt, ut ne male de se cogitandi ac loquendi ansæ aliquid relinqueret: quoniam videlicet ipsum Societatis institutum non eadem, qua aliorum Ordinum, adversus suspiciones cautione ac provisione munitum esse, multaq; sociis licere constat, quæ nec ipsos à peccandi occasione, nec alios à suspicandi causa prohibeant.

domitieæ libidinis insimulatus.

Cujus suspicioni locum Jesuitæ dare non debe-rent.

Sed tollere omnem de se suspicandi ansam.

Caput XIII.

Et tamen tam projecta ad inaniter de se gloriandum mentiendumque Jesuitarum est audacia, ut in libello de Zelo Ignatii Madriti edito fol. 28. non dubitent scribere: *Inter fructus Societatis non illi tantum numerandi sunt, quos ipsa per se facit, sed etiam quos alij faciunt per Societatis occasionem, industriam aut exemplum: quales sunt, quos in S. Carolo facit Pater Johannes Baptista Ribera Hispanus.* Hoc enimvero est *in imm-*

Mendax Jesuitarũ gloriatio de S. Carolo.

Quæ sua opera Sanctum evasisse jactitant.

mensum gloriari in alienis laboribus, ut faciebant *Pseudoapostoli, operarij subdoli, ministri Satanæ, transfigurantes se in Apostolos Christi*, 2. Corinth. 10. & 11. Quid prodest tandem Origeni, quod ex schola ejus velut ex Equo Troiano meri Principes prodiere? *Quis unquam felicior discipulis? nempe innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores & Martyres exstiterunt*, ait Litimensis Vincentius. Non dissimiliter Collegii Cocus nobis gloriabitur, quicquid Jesuitæ in eo faciunt, boni erga Deum & proximos, ejus sibi gratiam deberi, qui escas eis præpararit & suavitate sic condiverit, ut iis esitandis vitam producere & operam navare possent. Sed quam vanum esset, quod de S. Carolo jactitant, ex ipsa Ordinis sui Historia probe cognitum habebunt. Sic enim ibi narratur part. 2. lib. 8. nu. 12. *Cardinalis Carolus Borromæus sive aliorum suasu, cum quibus multum agebat, sive sua sponte, aut divino instinctu ad perfectissima quæque evolans magis, quam gradiens, in longe austeriorem, quam vel Pater Ribera, vel quispiam de Societate auctor fuisset, sese disciplinam immisit. Oblectamenta quædam honesta suoque consentanea loco laxamenta abdicare: non ad exercendum auramque captandam egredi: raro apparere in publico: totos dies inter literarum ac pietatis latere studia: de adstringenda quin etiam rigidius domestica disciplina mensaque: de eleemosynis large distribuendis: nonnullis item, quibus oneratus sibi videbatur, ponendis vectigalibus, deq. profectione ad Archiepiscopatus sui sedem agere. Eas res perpauci tum probare: plures ægræ mentis tristitiam, ignaviam, insaniam vocare. In summa Pontifici persuadent, Nepotem ipsius, ac præcipuum in sustinendo terrarum pondere adjutorem, & unicum agendarum rerum administrum, enervatum ab Jesuitis, infatuatum, de mente dejectum: cum REVERA Patres* (Jesuitæ) *non nisi moderatiora QVOTIDIE inculcarent.* Hæc Jesuitarum narratio trium nos rerum facit certiores, quæ diligentem merentur observationem. Primum est, magnam Jesuitis injuriam facere, qui eos Cardinalibus, præcipueque Pontificum Nepotibus, seu fratrum ac sororum filiis, quicquam suadere putat, quod illâ dignum sit perfectione, qua Cardina-

Sed in eo perimpudenter mentiuntur. Cum ipsa Societatis historia contrariũ testatur.

Jesuitæ S. Carolum quotidie à sanctitatis exercitio avocarunt. Non est periculũ, ne Pontificum Nepotes ali-

les ipsis etiam Episcopis præstare oportet. Nullum est periculum, ne illis auctores sint, ut quicquam oblectamentorũ prætermittant, ut inter pietatis & literarum studia dies totos lateant, ut mensam omnemque domesticam disciplinam adstringant, ut eleemosynas large distribuant, ut redituum Ecclesiasticorum parte se exonerent, ut valere jussis Romanis deliciis ad greges suos visendos, & coram verbo, exemplo & eleemosynis pascendos, se recipiant. Moderatiora sunt multo, quæ Patres isti quotidie inculcant. Itaque si Carolus Jesuitarum monitis obtemperasset, fortasse nunc cum plurimis Pontificũ Nepotibus in divitis Epulonis sinu apricaretur,

quid boni à Jesuitis discant.

Aut saltem clausus tenebris & carcere cæco
Exerceretur pœnis, aut gurgite vasto
Infectum elueret scelus, aut exureret igni.

Alterum est, Jesuitas valde animi incertos esse ac dubitare, num perfectioris vitæ & sanctitatis consilia & studia à Deo inspirentur, an ea homines ex se ipsis, aut saltem aliorum hominum opera, cogitent & suscipiant: cum tamen inter fidei capita sit, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum esse descendens à patre luminum,* Jacob.1. *Non esse nos sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientiam nostram ex Deo esse, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate* Phil.3. quod quidem nec ipsi Gentiles dubium habuerunt, cum ita sit apud Tullium.2.de Natur.Deor. *Nemo vir magnus sine afflatu aliquo divino unquam fuit. Neminem singularem virum, nisi juvante Deo, talem fuisse credendum est.* Et ap. Senecam: *Bonus vir sine Deo nemo est. Ille dat consilia magnifica & erecta. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum: Non subibit te veneratio ejus? non dices? Ista res major est altiorque, quam ut credi similis huic, in quo est, corpusculo possit* (id est major quàm humana:) *Vis istuc divina descendit. Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem quicquid timemus optamusq́, ridentem, cœlestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo Numinis stare.*

Jesuitæ dubitant utrũ sanctitatis cõsilia Deus Corolo inspiraverit.

In quo magis impii sunt quam gentiles.

S. Carolo nihil pror sus Jesuitis debuit.

re. Adhuc tamen Jesuitæ incerti certant, hominumne suasu Carolus, an sua sponte, an vero instinctu divino ad perfectissima evolaverit. Tertium est, Jesuitas nimis improbe nunc postulare, ut in partem sanctitatis & meritorum Caroli veniant, cum tam multis ante annis apertè tulerint, sui Ordinis homines ultro etiam sanctitatis & perfectionis impedimenta ei monitis suis quotidianis obiecisse.

Caput XIV.

Jesuitæ jactant se habere privilegium castitatis.

Fortassis autem Forerus Inforationis à se suspicionem amoliens, fidemque & auctoritatem sanctissimis viris Hieronymo, Augustino, Gregorio & Bernardo abrogans, Societatis suæ iactabit privilegia, & gratiam à Christo multo ampliorem sibi ac sociis contingere gloriabitur, quam sanctissimis illis Eremitis, miraculorum gloria coruscantibus, quam cedris Libani, quam cœli columnis, quam gregum Ducibus, Episcopis & Clericis, quos illi testantur in carnis peccata occasione corruptos cecidisse. Vulgo certè hoc Jesuitæ faciunt, ut cum in Societatem pueros alliciũt, hoc meliorem Societatis, quam aliorum Ordinum conditionem esse prædicent, quod Ignatius à Deo precibus obtinuerit, ut per centum annos inde ab eo die, quo nomothesiam eius sive Regulam Sedes Apostolica probavit, nemo Sociorum in letale peccatum incidere queat, adeoque nihil ei quantumvis Saturo, nitido, beneque curato ab humanæ satietatis tentatione sit periculi: cuius gratiæ ac privilegii prærogationem Xaverium in alios ducentos annos à Deo Societati impetrasse, abhinc triennium Jesuitæ in Alsatia plenis buccis gloriabantur. Quo minus autem apud pueros & adolescentes rerum imperitos eos talia quis jactare admiretur, ipsi Friderico Borromæo Cardinali non dubitarunt tali se privilegio venditare, cum dicerent, Deum sibi servientibus necessaria minime negare, sed *affluenter dare habenti, ut abundet*. Habere autem se gratiam Voti, qua se ad alienam salutem procurandam obstrinxerunt, velut 1. Reg. 2. scriptum est: *Dat votum voventi, & pedes sanctorum suorum servabit*, id est, quibus

Eoq; mendacio multos in Societatem pelliciunt.

Ipsi Borromæo Cardinali hoc persuadere conati sunt

bus gratiam dedit ut voverent, iisdem gratiam dabit, ut votum bona fide exsolvant, nec eos permittet cadere ipsius causa per universum orbem circumcursantes, omniumq; se hominum consuetudini implicantes. Itaque necessaria Jesuitis est gratia, ut nihil fœminarum forma, nihil puerorum & epheborũ specie commoveantur, nec inde natura obscœnius ipsis excitata singultiat, magisque tentio, quam tentatio subantes & insolenter æstuantes derumpat. Sed hac sua gloriatione non modo Borromæo non persuaserunt, verum etiam ita eum sibi alienarũt, ut in posterum nec visos, nec auditos vellet, quemadmodum familiaribus & amicis non semel fassus est, sicut etiam Seminariorum suorum Clericos tandem scholis eorum interdixit, quod verbis negaret se posse exprimere nefaria illa, quæ in Braidensis Collegii eorum scholis perpetrari compertisset, quorum causa, si in sua foret manu, omnibus omnino scholis eos se prohibiturum affirmabat, quod me ex ipsomet audisse Deum mihi testem judicemque adjuro. Nec tamen ulla eis est religio in libris Madriti, Dillingæ, Monachii alibique editis tam magnifice gloriari, ut *multo se majorem, quam Monachos à Deo gratiam mereri & in se ipsis experiri* dicant, quod facile mihi persuadebunt, si quos ipsi proximorum causa labores capiunt, aut majores, aut proximis utiliores, aut Deo gratiores esse docuerint, quam quos cepit Paulus Apostolus, & illæ cedri Libani, illæ cœli columnæ, illi gregum Duces, Episcopi & Clerici, quos continentiæ gratiam non aliter quam corporis sui castigatione, inedia, siccitate, vigiliis, nuditate, frigore, assiduaque verborum & operum divinorum meditatione à Deo impetrasse ac tutatos esse constat. Et quæ tandem res securitatem Forero præstare potest, ne quod antè aliis Jesuitis Aulularibus Principumque parasitis, idem ipsi similiter usu veniat? *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei*, ait Deus populo Hierosolymitano *confidenti sibi in sermonibus mendacij*, ut alieni casûs exemplo metum in se conciperet Jerem. 7. Pari modo Forerus sibi dictum putare potest: *Noli altum sapere sed time. Si te*

Sed ea re gravissimè illum offenderunt.

Ei in votis erat Jesuitas ex omnibus scholis ejicere.

Forerum terrere

 stare

debet exemplum Reihingij. *stare existimas, vide ne cadas.* Abi Neoburgum proximæ viciniæ, & vide quid ibi fecerim gemino germano tuo Jacobo Reihingio, qui non minus, quam tu, Pater patratus & quarto Societatis voto illigatus fuit. Hic cum in Aula adspectaretur, omnesque ob os ejus ora obverterent sua, non minus ingenii & doctrinæ vim atque eloquentiam in eo suspicientes, quâm benevolentiam hominis apud Principem gratiosissimi ambientes, ipse superfluentibus se bonis saginatum, nullo tamen genere meliorem se ipso factum animadvertens, Provincialem Societatis Præsidem ab Aula missum & in Collegium aliquod receptum poposcit. *Quem Aula depravavit.* Ille autem Societatis interesse existimans, ut ad latus Principi hæreret, eiusque in Societatem prothymiam ac prolixum animi affectum aleret, Stationem minime deserere eum voluit. Mansit ergo in Aula tanquam *in terra deserta & invia & inaquosa* longè à fontibus Salvatoris, donec ei contigit illud Isai. 50. *Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti.* Quadam certe die qui derepente nec opinanti supervenerant, Venerabilem Patrem venerabundũ & patrantem, ac velut Sacerdotem una cum Camillo suo SACRA DIIS MANIBUS facientem invenerunt. Exinde nec muliebres aspernatus amores tandem non à Societate tantùm, sed prorsus etiam ab Ecclesia defecit, & malus malè periit. Velut mihi primarius quidam Cardinalis ab ipsis Jesuitis acceptum retulit. *Post muliebri amore corruptus ab Ecclesia defecit.*

Caput XV.

Similiter exemplũ Patris Coprevitij. Aliud Jesuitæ Aulici exemplum ab Episcopo quodam, magni Principis Legato, accepi, qui rem verissimam esse Deum omnesque cœlites persanctè dejerabat, etsi etiam injuratus vel propter virtutis opinionèm, vel ob gratiæ locũ, quem apud Principem illum tenebat, omnem oratione sua fidem merebatur. Nicolaus nempe Coprevitius cum Grætii esset in Jesuitarum Collegio (unde velut mihi ab illustri viro fides facta est, quatuor in Aulam commeatus sunt, eorumque unus subterraneus) virginibus Aulæ Archiducis Caroli familiari-

bus

bus tam familiariter usus fuerat, ut tandem una ex compressu illius uterum ferre inventa fuerit. Quæ res omnem illam Aulam mirè solicitam habuit, ut tantum dedecus occultari posset, ne si enunciatum ad hæreticos promanasset, non modo Gynecæi illius pudorem sugillaret, sed etiam omne Jesuitarum nomen ludum omnibus iocumque faceret. Hac enim vero re patuit, quem pietatis suæ fructum ferant Coprevitii, seu Vitia sua cooperientes, qui totos se Savernæ cultui dederunt, ac Beatissimam Dei genetricem Angelica salutatione affari se simulantes.

Qui virginem in aula Gratiensi vitiavit.

Etsi dedecus illud fuit occultatū.

Labra movent, tacitique orant sibi: Sancta Laverna,
Da mihi fallere, da justum sanctumq́ videri,
Noctem peccatis, & fraudibus obyce nubem.

Quantus verò id gens Lavernionum & Coprevitiorum in Societate sit numerus, ex Johannis Marianæ, summi viri, libro de Morbis Societatis eorumque remediis intelligi potest, cujus cap. 14. ista legimus: *Totum Societatis regimen hunc habere videtur scopum, ut quæ improbè in Societate fiunt, injecta terra cooperiantur, & hominum notitiæ subtrahantur.* Nihil ergo jam mirandum est, istum Patrem Coprevitium non modò *Vasa salva retulisse* (quod haud ferè *manifestò mœchi solent*) sed etiam tantum adhuc in Aula gratiæ tenuisse, ut a. 1598. per Hispaniæ Reginam Ferrariæ à Clemente VIII. Lubianæ Episcopatū Thomæ Cremio obtinuerit. Is quippe quotannis tria florenorum millia Jesuitis depensurum se receperat, si sibi Episcopatum illum *per secretam*, quam vocant, *expeditionis viam* conficerent, quæ quasi gratuita est & immunis ab onere solvendæ Annatæ, seu fructuum unius anni, quos Episcopatus reddere solet. Quo postea potitus Coprevitium, gumiam, lurconem & comedonem strenuum, quotidianum ferè hospitem & coepulonem habuit, qui abdominis cura minimè Forero dispar Sanctæ Saturitati religiosè semper litabat, ita ut quadam die sumta in ventrem confidentia, & plus solito madens, cum à prandio Episcopi sororem cum aliis matronis ac puellis, quæ ex vicinia ad eam confluxerant, sub dio in umbra partim

Magnus Coprevitiorum in Societate numerus.

Jesuitæ pecuniis acceptis ambienti Episcopatum suffragātur.

Coprevitius Episcopi parasitus.

Lepidum exemplū Aspergilli Jesuitici.

 nendo,

nendo, partim pensum exercendo Minervæ operantes invenisset, exserto à summis feminibus peculio eas ordine permeieret, simul illa Psalmi verba, quæ in Ecclesiis Sacerdoti aqua lustrali homines circumferenti solent occentari, alta voce decantans, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* Ita quæ Davidi Pœnitentia ex imo pectore eruerat, ea Satyri hujus aut olentis capri Peni tentio ad ludibrium convertere nihil timuit. De similibus *Hyssopis* vel *Aspergillis*, Jesuiticis historiarum affatim habeo, quibus alius forte dabitur narrandi locus, ut *Pharisæorum* istorum *fermentum* circumscribatur, ne totam populi Christiani massam Hypocrisi sua corrumpant, *neque quicquam opertum sit, ut non reveletur, nec tam absconditum, ut non sciatur.* Quam adversus illud curam & provisionem omnibus *amicis suis* Christus præcipit, nec ab eo officio ullo mortis metu quemquam deterreri monet Luc. 12. cujus sensum & voluntatem sic nobis Paulus interpretatur Ephes. 5. *Nolite fieri participes eorum, qui sunt fornicatores, aut immundi, aut avari* (essetis autem participes, si dissimulatione & silentio, quasi quibusdam tenebris, eorum immunditiam & avaritiam occultaretis) *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (ita ut vestrum velut lucis officium sit cum bona vestra, tum mala aliorum opera gloriæ divinæ & alienæ salutis causa manifestare) *Vt filij lucis ambulate probantes quid sit beneplacitum Deo* (*omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei, non noctis, neque tenebrarum.* 1. Thess. 5. adeoque vestrum est lucere, & *vigilare*, sive attendere ab hypocrisi eorum, qui alios fermentare possunt) *& nolite* (per silentium) *communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite, quæ in occulto fiunt ab ipsis, quæ turpe est & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim quod manifestat, lumen est.* Atque hujus officii prætermissionem Christiani fundi calamitatem, omniumque malorum publicorum causam caputque esse magnus Jesuita Alphonsus Salmero perspicuè totidem verbis docet Tomo 5. tractat. 15. *Ex correptionis fraternæ omissione totus mundus in maligno videtur esse*

Omnes Christi amicos decet fermentũ Jesuitarum circumscribere.

Et occulta eorum dedecora manifestare.

esse positus. Nam si is, qui Summi Pontificis locum sustinet, suos qui sibi assistunt Cardinales & Episcopos corrigeret: si Episcopi suos Clericos: si Curati suæ parœciæ concubinarios, usurarios atque publicos aleatores: si Generales Præpositi (maximè Societatis Jesu) *suos Religiosos: si Reges suos officiales & ministros, Aulæ inservientes: si denique paterfamilias suos domesticos & familiares: & Christianus QVISQUE amicum suum delinquentem: profecto vix decima pars eorum quæ quotidie admittuntur criminum peccaretur: Sed quoniam nos officio nostro desumus, durissimam correctionem per Turcam nostris cervicibus impendentem, per mutua Principum Christianorum bella, per hæreticos qui gravissimè Ecclesiam infestant, adhibere voluit. Et cum Bellua extra viam percussa vel ad viam redeat, vel eandem viam festinantius persequatur: nos tamen toties percussi belluis deteriores & minus intelligentes, neque peccati viam deterimus, neque per virtutis studium vel curriculum festinamus.* Verum ista omnia Forerus infra fiduciam ponit, nec vel alienæ offensæ scandaliq; metu, vel propter totius orbis corruptelam minus securè in utramvis aurem conquiescit, modo in alimentis ejus explementa non desiant, ipseq; in Aula ambabus malis expletis vorare ac lucrari, & Ventrem suum, Deum magnum, saturitate propitiare possit. Hunc ergo *durum Capitonem* firmæq; frontis, qualem Aula desiderat, Jesuitæ, si sapiunt, Madritum arcessendum curabunt, ut non modò Apiciani Juris librum in Academia explanet & Commentariis augeat & illustret, sed etiam in culina Regia inter patinas jura reddat, cocisque ad istunc præcipiat modum,

Hujus officii neglectus causa est omnium calamitatum publicarum.

Et peccatorum propter quæ illæ immittuntur.

Forerus nullum nec periculum, nec scandalum metuit.

Modo Ventri suo sacrificare possit.

Debet in Aulam Hispanicam vocari, ut

Apicium publicè interpretetur, Et in Culina Regis præfecturam gerat.

Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum:
Illud rectè: iterum sic memento: & sedulo
Moneat quæ potis est pro sua Sapientia.

Interea unumquicquid quod quidem bellissimum sit, carpens, & subinde cyathos sorbillans, paulatim producat diem.

Ita nimirum ſapientiam illam Salomonis ſibi auditam factis teſtabitur Eccleſiaſt.8. *Laudavi lætitiam, quod non eſſet homini bonum ſub ſole, niſi quod comederet & biberet atque gauderet, & hoc ſolum ſecum auferret de labore non in diebus vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus ſub ſole.*

CAPUT XVI.

ET adhuc quidem ea expoſui, quæ Jeſuitæ Regi Catholico & Aulæ ejus partim auditu jucunda attulerunt, partim de ſe magnificè ſunt polliciti, ut vectigali annuo decem millium aureorum nova ſibi conderetur Academia, in qua *profanis vocum novitatibus & oppoſitionibus falſo nominatæ ſcientiæ* omnibus Conciliis, decretalibus Pontificum epiſtolis & præceptis, S. Patribus, ſcholarum doctoribus, & Philoſophiæ Peripateticæ omnem fidem & auctoritatem abrogare, ſibi verò ſapientiæ ad ſummum perductæ fallique neſciæ opinionem comparare, eoque pacto Societatis Imperium fundare ac ſtabilire poſſent. Nunc operæ pretium fuerit cognoſcere, quæ per Pozam ſuum, quem Achillis loco in caſtris ſuis numerant, deſignare auſi fuerint, ut viam ſibi ad votorum ſummam munirent. Is quod videret, nihil ad aures Hiſpanorum gratius accidere ſolere, quam ſententiæ illius profeſſionem & propugnationem, qua Beatiſſima Dei genitrix ſine hæreditaria peccati labe concepta ſtatuitur (ſic enim plerique eorum perſuaſum habent, quo puriorem B. Virginem crediderint, eo ſibi impurioribus eſſe impune liciturum, nec tam ſalutis ſuæ referre, ut ipſi peccatorum ſuorum maculas pœnitentiæ lacrymis eluant, quam ut Mariæ conceptum omni macula vacaſſe prædicent) ejus argumenti librum edidit *Elucidarij* indice ſi-*ve titulo, in quo non modò omnes illas laudes & formæ dotes Dei genetrici vindicat, quas poetæ Veneri, Circæ, Medeæ, Helenæ, Phrynæ, Thaidi, quasque Catullus Lesbiæ, Properti- ſed

Societas Pozæ opera conatur Orbis Monarchiã ſibi conficere. Hiſpaniæ populis nihil auditu gratiq quam ſententia de immaculata B V. Conceptione.

Eam ergo Poza tuendam ſuſcipit.

* *Et omnium formoſarum meretricum laudes in B. Virginem confert.*

us Cynthiæ, Ovidius Corinnæ, a ii a iis meretriculis imperti sunt, perinde ac si periculum sit, ne Hispani parum B. Virginem ament, nisi eam quovis scortillo formosiorem credant, sed etiam mirandos quosdam corporis & animæ dotes ei affingit, de quibus nemini unquam prius in mentem venerat. Verbi gratia, eam non minus Christi Patrem, quam Matrem fuisse & omnia quæ pro perpetuo naturæ tenore patrem oportebat ad generationem ejus contulisse, eaque re mereri, ut *Matripater* vel *Patrimater* Christi audiat: eam nec salivam nec lotium nihilque omnino excrementorum habuisse, idq; sine ullo miraculo ex sola corporis temperatura, quomodo etiam Christi carni eam vim tribuit, ut ex simili temperaturæ excellentia nihil se admiscente divina virtute solo contactu mortuos in vitam revocare potuerit. Hæc & alia se prædicat explorabundum emittere, ut nimirum tentet, satisne novitatum suarum patientes sint hominum auriculæ, ut tantò fidentius cætera ingenii prurientis commenta, an portenta, possit extrudere. Ne quis autem hoc nomine opiniones ipsius explodendas contenderet, quod novæ sint, neque aut cum sacrorum Conciliorum decretis, aut cum Summorum Pontificum judiciis, aut cum S. Patrum sententiis, aut cum Scholarū placitis, aut tandem cum Philosophiæ Peripaticæ axiomatis & principiis congruant, disertim ac sine circūitione nihili se istorum omnium auctoritatem facere profitetur, cum eos sæpius deceptos fuisse, erroresque aliis objecisse noverit: in quo docendo ac probando cæterorū, qui unquam Ecclesiam oppugnarunt, Hæresiarcharum temeritatem, superbiam, mendaciloquium & impietatem longe post se relinquit. Hic ejus liber cum Romam allatus fuisset, tristi etsi justo edicto notatus, omnibusque Christo fidelibus lectione ejus interdictum fuit. Jesuitæ verò illum ipsum ejus librum, censuram Apostolicæ Sedis ludibrio habentes, Lugduni typis elegantioribus mox recudendum curarunt: pro quo etiam Poza varias Apologias edidit novis semper fraudibus, mendaciis, gloriationibus, & in Romanos Censores injuriis & contumeliis insignes. Ingrati qui-

Mult usq; novas ei affingit.

Facit eā Christi Patrem.

Multas novas opiniones tentandi causa præmittit.

Profitetur cōtemtum Conciliorum, Patrū & Doctorū.

Eisq; plurimos errores objicit.

Ejus liber Romæ edicto prohibetur.

Sed Jesuitæ Romanam censurā contemnunt.

Et Papã ac Romã ingrati erga Societatem & Hispaniam postulant.

ti quidem actionem palam eis intentat, à quibus nec suorum, nec Societatis meritorum condignam haberi rationem expostulat. Non minus beneficia exprobrat, quibus curia Romana continuò ab Hispanica natione afficitur, sine quibus non dissimulanter jacit futurum, ut Curialium culinæ ventrisque focula mox refrigescant. Quasi æqvum esset caduci & temporalis emolumenti causa Pontificem Christi & Ecclesiæ causam prodere, ac scientem permittere, ut Catholicæ fidei fundamenta convellantur, ut perfossus Ecclesiæ paries fures admittat, ut profanis vocum novitatibus fenestra semper pateat: quasique minus sit emolumentum, quod Regi Catholico per causam Ecclesiæ adversus Mahumetanos & hæreticos legionibus & classibus tutandæ quotannis de Cleri ac populorum spoliis permittitur, ut mutuæ dissimulationis lucro contentus esse possit, nec ad tam iniquam pactionem Pontificem adigere velle debeat. Cæterum ut Lectori specimen aliquod exhibeatur, ex quo de toto genere Apologiarum Pozæarum existimari possit, libet afferre causæ dictionem pro suis novitatibus, qua apud ipsum utitur Pontificem in *Apologia Nationis Cantabricæ* lib. 2 cap. 3. pag. 63. *b. Quæ omnia* (inquit) *Synodus Constantinopolitana Act.* 1. *ex Salomone probavit ad ea verba*: Beatus qui prædicat verbum inauditum, *id est, novum. Idcirco neque antiquos, neque antiqua Neotericis anteponi par est, Ecclesia in dies magis illustratur.* Hujus argumenti vis tali Syllogismo fiet dilucidior.

Vellet Papam temporalis lucri causa fidei corruptelas tolerare.

Mutua Papæ & Hispaniæ Regis dissimulatio.

Poza Cõcilii auctoritate vult probare SS. Patres sibi anteponi non debere.

Quem Spiritus sanctus doctrinæ causa beatum judicat, eum Papa condemnare non potest; nec antiquitatem ei præferre debet.

Qui prædicat verbum novum eum Spiritus sanctus doctrinæ causa judicat beatum.

Igitur qui prædicat verbum novum, eum Papa condemnare non potest, nec antiquitatem ei præferre debet.

Sed in eo mentitur Spiritui S. Et in

Assumtione seu Minore probanda cum Spiritui S. tum in Spiritum S. sacrilege mentitur. Spiritui S. quidem, dum Petro mentitur, id est, Pontificii imponere conatur. *Non enim*

nim hominibus mentitus, sed Deo & Spiritui S. ait Ananiæ Petrus Act. 5. In Spiritum vero sanctum; cujus verba per Scripturam & Concilium prolata partim in contextu, partim in sensu adulterat & corrumpit. Textus corruptela duplex est, compositio & mutilatio. Duo quippe verba facit in unũ coalescere, pro *In* & *auditum* reponens *Inauditum*, & prætermittit verbum orationi necessarium *Obedientium*, cum in Concilio Constantinop. act. 5. sic legatur: *Beatus qui prædicat verbum in auditum obedientium.* In Græco: Μακάριος ὁ κηρύττων λόγον εἰς ἀκοὴν ὑπακούοντος. In Tomo autem primo Decretalium epistolarum Romæ edito pag. 475. Hormisda Pontifex in epist. ad Presbyteros & Diaconos Syriæ (quam dictum Concilium recitat) ita loquitur: *Libenter communicamus dogmata ista vobiscum. Dicit enim sapientissimus Salomon: Beatus qui prædicat verbum in aurem obedientis. Gaudium est siquidem volentes alloqui, & ad rectam viam eos, qui non reluctentur hortari.* In mente autem Pontifex habuit verba Eccl. c. 25. *Beatus qui enarrat justitiam auri audienti.* Poza verò ut novitatibus suis locũ inveniret falsi se alligare nihil dubitavit, fecitq; *Beatus qui prædicat verbum inauditum.* Nec eo scelere contentus, interpretamentum addit, *id est, Novum:* unde porrò cogit, Pontificem præter æquum facere ac potestate in destructionem fraudemque Ecclesiæ uti, si sanctos Patres & Concilia Pozæ anteponat, & lumine per illum accenso Ecclesiam defraudet.

Spiritum Sanctum.

Concilii textum corrumpendo.

Et verba falso interpretando.

Caput XVII.

Itaque propter innumera id genus mendacia, fraudes, imposturas & S. Scripturæ Conciliorumque corruptelas & adulterationes Pontifex omnes ejus libros tam manu, quam formis descriptos edicto damnavit legique vetuit. Sed quoniam nescio quo consilio cum diris devovere, ac tanquam manifesto jam contumacem hæreticum sacris interdicere distulit, Jesuitæ se ab eo metui interpretati sunt. Sicut Florentiæ viro cuidam primario non dubitarunt gloriari, si Societati libeat,

Pontifex omnia Pozæ scripta merito prohibet.

Eũ tn. nõ excommunicat.

Hinc Jesuitæ se

ab eo me-tui conji-ciunt. beat, dimidiam populi Catholici partem nullo negotio ab officio erga Pontificem posse eam abducere. Cum ergo Pontifex eis præcepisset, ut Pozam Madrito in aliquem solum locum relegarent, ubi nec voce, nec calamo pestiferam doctrinam suam propagare, multosque alios venenare posset, tantum abest, ut imperata ejus exsequi voluerint, ut etiam in suprema omnium cathedra Regiæ apud Madritum Academiæ Doctorem sacrarumque literarum interpretem eum collocarint, ad ejusque acroases Episcopos, Hispaniæ Magnates & utquisque nobilitate & auctoritate præcellere visus fuit, subinde invitarent: quod minime dubium haberent futurum, qvod de hæreticis Paulus affirmat: *Sermo eorum ut cancer serpit*, velut etiam eventu mox fuit comprobatum. Multo enim plurimos omnium Ordinum in suam Poza pertraxit sententiam, vereque *transtulit in aliud Evangelium & fascinavit non obedire veritati*, nec intellectum suum in obsequium Christi & Vicarii ejus captivum redigere. Quod enim evidentius fascinati, devoti carminibusque illigati animi argumentum excogitari potest, quam quod primarius quidam Hispaniæ Archiepiscopus, nemini Theologorum universæ Europæ secundus, cum prius multa eorum, quæ post Poza docuit, luculentè libris editis damnasset errorisque ac mendacii convicisset, postea Elucidario ejus semel iterumque lecto, etsi eum Romæ jam condemnatum nosset, se tamen quicquam in eo nisi veritati & pietati congruens negavit invenisse? ita ut eorum quæ ipse magna cum ingenii & doctrinæ commendatione ante docuerat, memoriam ei magico veneficio ademtam fuisse, aut saltem ipsum oculis fascino præstrictis, quæ in Poza legerat, non vidisse necesse sit. Nec verò aliud argumenti habet, quod supremum Sacræ Inquisitionis in Hispania tribunal inter tot annos adduci non potuit, ut censuram Pontificis ratam haberet, ac Pozæ libros vetare & abolere vellet: hoc amplius autem minime intercessit, quin novas ille subinde Apologias Pontifici & Inquisitioni Romanæ publice opponeret, & criminosis libellis invidiam eis apud Hispanos faceret,

Ejus jussa palā contemnunt.

Et Pozæ hæreses omnibus Hispanis istillant.

Magnus Hispaniæ Theologg Archiepiscopus à Poza fascinatus.

Ipsum Inquisitionis Hispanicæ tribunal erga Pontificem contumax.

ret, eorumque corda solicitaret. Cum tamen doctissimus & gravissimus quisque ex illustrioribus Religiosorum Ordinibus non in privatis modo congressibus, sed etiam in scholis aut cœnobiis de superiore loco, pariterque in templis pro concione in Pozam & Socios ac laudatores ejus tanquam novitatum amicos, Principum adulatores, interversores veritatis, pacis publicæ turbatores, & lupos vellere ouillo tectos gravissime inveherentur, Academiarum vero nomine novum fidei Symbolum ex Pozæ libris conflatum, velut novarum & instauratarum hæresion & blasphemiarum in Deum Cornucopiæ ab earum Procuratore exhiberetur, cujus exemplar hic subiicere placet, ut de Jesuitarum cœptis & molitionibus, deque miserando Hispaniæ statu omnes existimare possint.

CAPUT. XVIII.

Jesuiticum Fidei Symbolum, velut Canticum novum:

Ex Johan. Baptistæ Pozæ libris conflatum, unaque cum documentis necessariis ab Hispanicarum Academiarum Procuratore S. Inquisitionis Consilio Madriti exhibitum.

I. Credo in duos Deos, quorum unus filii pater & mater est metaphoricè in generatione æterna: alter metaphoricè mater & pater est in generatione temporali: cui consequens est, ut tam Deo patri, quam B. Virgini nomen Matripater conveniat, tanquam uterque Hermaphroditus esset vel Androgynus.

II. Credo in Jesum Christum, unicum utriusque filium metaphoricum secundum æternam & temporalem generationem.

III. Credo Jesum Christum, ut hominem, fuisse conceptum & natum de Maria Virgine tanquam patre & matre metaphoricè per virtutem paternam & maternam.

IV. Credo eundem passum & mortuum non verè & realiter, eo quod mori non potuit.

V. Credo eum fuisse sepultum etsi verè & realiter non mortuum.

VI. Credo animam ejus descendisse ad inferos metaphoricè, cùm à corpore non fuerit separata.

VII. Credo eâdem metaphorâ eum à mortuis resurrexisse, qua fuit mortuus.

VIII. Credo eum adscendisse in cœlos, sedere ad dextram patris & venturum ut judicet alios viventes, alios etiamnum mortuos.

IX. Credo in Spiritum sanctum, qui locutus est per prophetas nonnunquam deceptos.

X. Credo Ecclesiam ex majori parte sanctam, & sanctorum communionem.

XI. Credo remissionem peccatorum per repentinum Spiritus sancti adventum super impios.

XII. Credo resurrectionem carnis ex majore ejus parte, & vitam æternam non sine aliqua oppositi formidine.

Jesuitæ jubēt Hispanos credere in duos Deos Vt saltem in unum credere eis persuadeant.

DVbium non habeo, multos exterorum viso primo Symboli articulo statim judicaturos, Jesuitis propositum fuisse iniqvum postulare, ut æquum obtineant. Si enim duos proponant Deos, in quos credere oporteat, hoc saltem Hispanos à se passuros impetrari, ut in unum credant: in quo persuadendo inde à D. Jacobi in Hispaniam adventu à multis Sanctorum fuit desudatum. Nec tamen Jesuitis satis visum fuit, quod Hispaniæ fidem magna ex parte subverterunt, & ipsos Episcopos, nec eos modo in sacris literis & Sanctorum Patrū libris hospites (ut fere sunt, qui hodie greges Dei pascendos suscipiunt) sed etiam divinarum & humanarum literarum & antiquitatum Ecclesiasticarum consultissimos, quod denique dolendum est maxime, ipsum Sacræ Inquisitionis Tribunal, illum Hæreseon quarumcunque scopulum, præstigiis suis fascinarunt, & à fide ac reverentia Sedi Apostolicæ debita averterunt. Sed non minus Angliæ, Galliæ & Belgii populos ad

Jesuitæ nō contenti Hispaniā hæresi infecisse.

Idem in Gallia,

ad hæreſes ſuas concipiendas inficere ac præparare annitun- *Anglia & Belgio tentant.* tur. Ejus conatus documentum dederunt publicatâ in Symbolum Apoſtolicum Cenſurâ, quam eo conſilio ſibi actam figunt, ut Pariſienſium Theologorum adverſum ſe Cenſuræ auctoritatem abrogarent. Sed cum in Hiſpania iiſdem ferè verbis loquendique modis Romanam Cenſuram elevent ac ludificentur, & Cenſores librorum Pozæ (quos Pontificem, Cardinales, eorumque Conſultores Theologos eſſe ſatis norunt) *calumniatores, mendaces, manifeſtè falſarios, Hæreticos & fidei Apoſtolicæ Sedi debitæ proditores* eſſe, omnibus perſuaſum velint: nemini paulum modò intelligenti non manifeſtè apparet, eos hoc habere propoſitum, ut vel Symboli Apoſtolici auctoritas paulatim diluatur & obſoleſcat, vel ſaltem ipſis verba ejus ex libidine ſua interpretantibus ſine retractatione fides adjungatur. *Symboli Apoſtolici auctoritatem imminuendo.*

CAPUT XIX.

Impia, ſcelerata & horrenda Anglicorum & Hiſpanicorum Jeſuitarum Cenſura in Symbolum Apoſtolorum, ad explodendam non modò Parienſium Theologorum, ſed & Sedis Apoſtolicæ Cenſuram, typis publicata.

Ex Admonitione Jeſuitarum ad Lectorem

MEritò ac prudenter timuimus, ne Theologi Pariſienſes homines verſipelles ac ſubdoli ipſum fidei Chriſtianæ Symbolum pari licentia & temeritate (ac noſtros duos libros) profanent. Quorum conatus ſacrilegos ut pro ea, qua pollemus auctoritate præveniamus, è re Catholica futurum arbitramur, idem Symbolum noſtra Cenſura caſtigatum Catholicis omnibus proponere, ne quid in eo deinceps ſuperſit, quod incautis Lectoribus offendiculum objiciat.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ,

Primus iſte Articulus ſi intelligatur, quaſi ſolus Pater ſit Deus, & omnipotens, & creator, filius autem & Spiritus ſanctus ſolum creaturæ ſint: propoſitio eſt impia, blaſpema, in-

dividuæ Trinitatis destructiva, & pridem in sacro & Oecumenico Concilio 318. Episcoporum adversus Arii impietatem damnata. Quatenus autem soli Patri creationem attribuit, nova est, temeraria, erronea, contra communem Ecclesiæ Patrum ac Theologorum omnium sensum prolata, cum hactenus receptum sit tanquam inviolabile decretum, omnes Trinitatis actiones ad extra esse indivisibiliter toti Trinitati cõmunes.

Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum.

Tota hæc propositio captiosa est & fallax, in quantum omittit Jesum Christum Filium esse naturalem & consubstantialem Patri. Sic enim periculosa est & doctrinam inducit hæreticam sæpius ab Ecclesia in Conciliis Nicæno, Ephesino & Francofordiensi præsente Carolo Magno damnatam. 2. ratione particulæ unicum, omissa præsertim Consubstantialis aut Naturalis. Sic enim quatenus propositio etiam extenditur ad filios adoptivos, de quibus ipse Dominus Psalm. 81. ait: Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. Et Apostolus Rom. 8. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; falsa est; piarum aurium offensiva, & justis omnibus & sanctis injuriosa. 3. Quatenus esse Dominum, quod indivisa proprietate tribus divinis personis æqualiter convenit, soli filio attribuit, oblique insinuans, unicam esse divinam personam, quæ modò Patris, modò filii, modò Spiritus Sancti appellatione significatur, hoc jam pridem adversus Sabellium universa Ecclesia tanquam impium atque hæreticum damnavit.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

Tota hæc propositio æquivocatione laborat, quæ inducere potest in hæresin propter ambiguas particulas De, & Ex: & quia ordinarie de habitudine importat principii componentis, juxta quam innuitur Dominum nostrum de substantia Spiritus sancti factum esse, & ita Spiritum sanctum vere di-

ci

ci posse Patrem Christi. Ideo propositio in hoc sensu falsa est, dolosa, hæretica, & divinarum originum confusionem atque eversionem inducens. Similiter quoniam tam particula De, quam particula Ex, consueto more loquendi habitudinem prioris & posterioris includit, & eatenus insinuare videtur, Christum posteriorem Spiritu sancto, & ante Mariam non fuisse, qvod pridem adversus Nestorium tanquam falsum & hæreticum damnatum est: ideo propositio hoc sensu intellecta hæretica est. Denique si ita Christus dicitur natus ex Maria Virgine, ut quicquid in Christo est, ex ea natū statuatur, quasi virgo etiam dici possit Mater divinitatis, in hoc sensu propositio falsa atque hæretica est, & in consequentia valdè periculosa.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

Hæc propositio ambigua est, & aliquo sensu hæretica: nam cum proprie in cæteris rebus ita actiones & passiones sunt suppositorum, ut etiam naturæ ejus propria & hypostasis attribuantur, & ob hanc causam mortua vel abscissa manu non recte propterea homo mortuus dicatur, nisi ipsa natura humana dissolvatur, ideo periculosa est propositio, & juxta obvium illic sensum intellecta, quasi divinitas aliquid passa, vel mortua fuerit, non solum hæretica est, sed etiam impia & blasphema.

Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

In hac propositione quatenus verbum Descendit, relatum ad personam Christi, insinuare videtur, ipsam quoque divinitatem ad inferos descendisse, cum tamen divinitas propter immensitatem ubique existens moveri non possit à loco in locum, ac proinde non adscendere in cœlum nec ad inferos descendere, ideo periculosa est & inducere potest in errorem. Intellecta verò de anima Christi, si sensus sit animam Christi ad pœnas inferni descendisse, & eas reipsa sustinuisse, propositio est hæretica, scandalosa, piarum aurium offensiva, & ex Calvini doctrina lib.2. cap.16.

Ad-

Adscendit ad cælos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.

Ista quoque propositio intellecta de ascensione Christi in cœlum secundum divinitatem, perinde ut superior, falsa & erronea est. Quatenus autem affirmat, Christum sedere indefinitè, ac proinde etiam universaliter, id pro omni tempore statuere videtur, ideo si ita intelligatur, Christum semper sedere, ut neque stet unquam, neque etiam de loco in locum moveatur, cum & stet, & Sanctus Stephanus stantem eum in cœlo viderit, & Johannes Apoc. 14. De Virginibus dicat, eas Agnum perpetuo sequi quocunque ipse ierit, propositio sic intellecta temeraria est, & expresso Dei verbo contraria. Denique in quantum hæc eadem propositio Deo Patri dextram attribuit, Anthropomorphitarum hæresin redolet, & in eum errorem inducit.

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Ista propositio quatenus ita asserit Christum ita judicaturum esse vivos & mortuos, ut negare videatur, Patrem & Spiritum Sanctum judicaturos, cum hæc actio suprema atq; adeo divinæ authoritatis sit, eaque externa, ac proinde toti Trinitati communis; ideoque propositio hac ratione ad solam personam Christi, multoque magis ad solam ejus naturam humanam limitata, falsa, temeraria & erronea est. Quatenus autem eadem quoque propositio asserit, Christum judicaturum esse non modo mortuos, sed etiam vivos, ambigua est & fallax. Unde si sensus est, quosdam homines non esse morituros, non prius vita defunctos ad judicium esse perducendos, propositio nova est, temeraria, falsa & erronea, nec nō Verbo Dei & communi Patrum totiusque Ecclesiæ sensui contraria.

Credo in Spiritum Sanctum.

Hæc propositio malignè proposita est & ex affectata brevitate meritò suspecta haberi potest. Subdolè enim Spiritus Sancti divinitatem, ejusque à patre & filio procesionem tacet. Proinde Arianam hæresin redolet, schismati Græcorum obliquè favet, individuamque Trinitatem dissolvit.

Itemque

Itemque tota explicatio divinæ atque individuæ Trinitatis octo istis articulis comprehensa, manca & periculosa est, avertitque fidelem populum à cultu & reverentia tribus divinis personis indivise atque inseparabiliter debita, & sub prætextu brevitatis & non necessariæ explicationis subdolè totum Trinitatis mysterium evertit, cum tamen perfecta ejus & explicata fides medium sit ad salutem necessarium. Vixque tota hæc doctrina excusari potest à dolo, quod nullam de Filii aut Spiritus Sancti divinitate, aut etiam æternitate mentionem faciat, sed contrarium de Filio in articulo tertio insinuet.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

Propositio hæc multiplici periculosa æquivocatione & affectata obscuritate errorem tegit. Inprimis enim ambiguum & obscurum est quid sit credere Sanctam Ecclesiam Catholicam. Etsi sensus est adhibendam esse fidem definitionibus Ecclesiæ cum exclusione definitionum, quæ fieri possent à solo ejus capite quasi Papa extra Concilium nihil definire possit, quod sit de fide: propositio est temeraria, scandalosa & summo Pontifici vehementer injuriosa. Deinde dubium est, quo sensu Ecclesiam dicat esse Sanctam. Et si sensus sit solos Sanctos & non multos malos contineri, propositio falsa, hæretica & Verbo Dei communique Patrum sensui contraria est. Eodemque modo rejiciendum est, quod de Sanctorum communione adjungitur, si inter solos Sanctos bonorum spiritualium communio admittatur, cum fide certum sit, omnes qui in Ecclesia sunt, tam bonos quam malos, in bonorum spiritualium saltem aliquorum participatione uniri. At si per Communionem Sanctorum non tantum bonorum, spiritualium saltem, sed quorumcunque etiam aliorum Communio intelligeretur, propositio esset absurda, à fide & recta ratione aliena, & Anabaptistarum confusionem induceret.

Remissionem peccatorum.

Ista quoque propositio sub his generalibus terminis con-

cepta, vel falsa, vel periculosa est. Intellecta enim de perfectæ & absoluta peccatorum omnium, etiam eorum, quæ quotidie committimus, remissione jam à Christo facta, & nobis semel in Baptismo applicata: hoc sensu hæretica est, & Sacramenti Pœnitentiæ destructiva.

Carnis Resurrectionem.

Si intelligatur de Resurrectione, quasi jam facta & amplius non sit futura, propositio hæretica est, jam olim ab Hymenæo & Phileto asserta, & ab ipso Apostolo 2. Timoth. 2. damnata. Intellecta vero de Resurrectione futura, sed de carne animali, hoc est, quæ iisdem animalibus desideriis, operationibus ac necessitatibus subjecta sit: propositio falsa atque erronea est, & Mahometis impietatem sapit contra expressam verbi divini auctoritatem 1. Cor. 15.

Vitam æternam.

Hæc propositio quatenus indefinitè proponitur, atque ita universaliter extenditur ad omnes, excludendo mortem æternam, qua injusti punientur, falsa, scandalosa & hæretica est, januamque vitiis omnibus aperit, & Atheistarum hujus temporis impietatem atque insaniam sapit.

Censoria Notio Jesuitarum in Symbolum Apostolorum explicit feliciter.

CAPUT XX.

Jesuitæ habēt pro prudētia, si Symbolū apostolorum cōtemtum reddatur.

ISta est prudentia & justitia Jesuitarum, ut quia suas novitates Romanis & Parisiensibus Censoribus probare non possunt, meritò se & prudenter facere in eo jactitent, quod ipsa Spiritus sancti verba nunquam nisi cum veneratione & honore quodam tractanda, ad incudem vocant, & ingeniorum suorum lasciviæ ac petulantiæ subjiciunt, vereque obscœnarum Harpyiarum instar contactu immundo fœdare non dubitant.

Quartum Jesuitarū votum de obediētia erga Pontificem.

Ex istis porro omnibus nemini obscurum aut dubium esse potest, quo spiritu, quibusve artibus Societas ista non modo peculiari Voto fidem suam Pontifici Maximo ad omnia ejus im-

imperia promtissimis animis excipienda devinxerit, sed etiam tanto ingeniorum certamine jus & auctoritatem ejus semper tutata fuerit, ut etiam multo ampliorem ei potestatem tribueret, quam vel fidelis & prudens Dispensator, qui se pro Dei servo, non pro Domino gerat, aut postulare audeat, aut ultro sibi ab hominibus delatum admittere animum inducat, vel superiorum sæculorum Ecclesiæ Patres ac Doctores æquis animis audire potuissent, vel denique Regna ac populi paci publicæ suæque saluti & incolumitati conducibile judicarent. Aspendii videlicet ritu intus cecinerunt, ut Imperii in omne humanum genus fundamenta sibi jacerent, eamque ad rem varia privilegia, immunitates & ab omnium Episcoporum ditione ac potestate exemtiones à Pontifice eblandirentur, quibus opes Societatis fundare ac stabilire, & procedente tempore suo remigio rem gerere, nec Principibus modò & populis, sed ipsi etiam pontifici & Ecclesiæ Romanæ formidini esse, & Regibus Catholicis cum Pontifice collisis sua ex regnorum calamitatibus commoda comparare possent. Qua de re quo minus cuiquam sit dubium, cunctique eorum Sinonias artes, quibus fatali suæ machinæ aditum in omnem Christianam Rempubl. murorum excidio ac strage patefaciunt, non solum clarè perspiciant, verum etiam velut manibus contrectent, quinque hoc loco hujus eorum consilii & conatus documenta in medium afferam. Primum eorum est, quod in scripta docti cujusdam viri disputatione hoc modo expositũ inveni:

Et propugnatio pro ejus jure & auctoritate.

Proprium Societatis bonũ pro Scopo habet.

Ut à Pontifice multa Privilegia obtineant.

Et magnis opibus auctiores.

Societatis Monarchiam stabiliant.

Ejus conatg quinque documenta.

Ao. 1609. Paulus V. Pontifex Salvago Sarzanensi Episcopo, suo apud hodiernum Imperatorem Nuntio præceperat, ut Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Ecclesias perlustraret, earumq; statum & Cleri mores coram inspiceret atque emendaret. Jesuitæ extrema fecerunt omnia, ut ne inspectio seu visitatio illa procederet. Plerique enim provinciarum illarum Sacerdotes ex Jesuitarum scholis profecti munuscula illis frequenter missitabant, adeoque duplici nomine, quamvis palam essent improbi, Magistrorum patrocinium gratiamque mereri vi-

Primum documentum.

Jesuitæ Nũcij Apostolici Visitationem impedire conantur.

videbantur. Itaque cum aliam Nuntii circumscribendi & Visitationis impediendæ viam non viderent, ipse P. Barth. Villerius, Archiducis Confessarius, Aulæ illius primores etiam atq; etiam providere monuit, ne committerent, ex quo in omni Politica publicique status ratione nullam prorsus rem sapere argui possent, ut per occasionem ejusmodi Visitationis externis hominibus, præcipueque Italis, provinciarum illarum Italiæ finitimarum status notesceret. Sed illi, quos minimè fallebat, quæ res animi Jesuitas angeret, negarunt se salvo officio juri Pontificis intercedere, aut Archiduci ejus tentandi auctores esse posse. Nec enim quicquam inter Archiducem finitimosque Venetos interfuturum, si Pontifex circumscriptus & impeditus in Clericos imperio ditionique suæ subjectos arbitratu suo inquirere, moresque eorum ex sacrorum Canonum præscripto emendare ac dirigere nequeat. Nuntius igitur provincias illas obiit, & in omnibus tribus SEX SOLOS Sacerdotes invenit, qui non essent Concubinarii. Quod ipse mox amicis retulit, cum tantam morum corruptelam vitæq; turpitudinem in hominibus ex Jesuitarum disciplina profectis, negaret se satis mirari ac deplorare posse. Quid nunc? An adhuc dubitabit quisquam, qua fide Jesuitæ Pontificis auctoritati serviant, cujus imperium minuere & suæ utilitatis causa Principi religiosissimo contumaciæ erga Sedem Apostolicam auctores ac suasores esse nulla prorsus religione deterrentur?

Quia sit contra status rationem.

In Stiria, Carinthia & Carniola omnes Sacerdotes Concubinarij Quamvis ex Jesuitarum disciplina perfecti.

Caput XXI.

Alterum documentum infidelitatis Jesuitarũ erga Pontificem.

Alterum documentum est, quod ab eodem viro docto sic inibi enarratur:

Libellus Archiepiscopi Pragensis Cardinalis ab Harrach, quem Anno 1624. Summo Pontifici & Cardinalium hæreticæ pravitatis Quæsitorum tribunali Romam misit, contemtæ à Jesuitis Censuræ Pontificiæ, & iuris Ecclesiastici ob propriam suam utilitatem & ad dominationem in dimidiam quasi regni Bohemici partem ipsis conficiendam omnibus viribus

bus oppugnati, luculentissimum continet testimonium. Horribilis illa Sedis Apostolicæ sanctio, quam *Bullam Cœnæ Domini* indigitant, Anathema sive *Excommunicationem latæ sententiæ* omnibus Regibus ac Principibus intentat, quicunque *Constitutiones pragmaticas*, aut quodcunque decreti genus *faciunt*, similiterque omnibus illis, qui ut similia fiant auctores sunt, aut *factis utuntur*, *quæ juri Ecclesiastico quomodo libet directè vel indirectè, tacitè vel expresse præjudicant.* Hanc sanctionem ut Imperator noster Christianissimus contemneret, nihilique Excommunicationem faceret, Jesuitæ ei persuadere laborarunt, quemadmodum libello illo Cardinalis facit planissimum. Clemens enim Sextus Pontifex Coroli IV. Imper. rogatu anno 1348. Pragensem Vniversitatem sive Academiam Apostolica auctoritate condidit, quodque ad Doctoratus & Magisterii, quos vocant, gradus conferendos attinet, supremo juri Pragensis Archiepiscopi tanquam sui Ordinarii perspicuis verbis subjecit, quam non minus ad alia jurisdictioni ejus obnoxiam esse, exemplo cæterarum Orbis Academiarum, nemo nisi sacrorum Canonum imperitus non intelligit sicut & sancta Tridentina Synodus *Triviales scholas, seminaria & universalium studiorum Collegia providentiæ & jurisdictioni Episcoporum* demandat. Minime proinde dubium est, quin Princeps sæcularis auctoritate sua suum Episcopis in Academias & Scholas jus auferens, aliisque attribuens, imminutæ Ecclesiasticæ majestatis reus & piacularis, ipsoque jam jure extra Ecclesiæ communionem positus, sacrisque interdictus sit. Queritur autem Cardinalis Pragensis, Jesuitas ex immensa Ambitione infinitaque in Cleros ac populos dominandi libidine religiosissimo Cæsari auctores fuisse, ut Victoriæ Pragensis divinitus sibi concessæ fructum in Ecclesiasticæ Jurisdictionis oppressione ponens suæ auctoritati & potestati jus Archiepiscopi subjiceret, & altitudinem suam adversus Conciliorum & Sedis Apostolicæ sanctiones extolleret. Hoc ut Jesuitas tam nefariæ designasse Pontifici & S. Officii Cardinalibus fidem faciat, ipsa Bullæ Cæsareæ verba profert, quam

Affectant dominatũ in dimidiã regni Bohemici partem.

Cæsarem docent cõtemnere Bullam Cœnæ Domini.

Et Ecclesiæ Pragẽsi jus suũ auferre.

Jeſuitæ Luciferiana ambitione concipiente ac dictante, calamo in atra Phlegetontis unda tincto perſcriptam Cæſari obtulerant, ab eoque promulgari contenderant. Verbi gratia: *Auctoritate noſtra Imperiali & Regia Vniverſitatem Carolinam* (hoc eſt, Pragenſem Academiam) *Vniverſitati Ferdinandeæ Societatis Jeſu in noſtra civitate Pragenſi pleno in perpetuum jure unimus. Neque huic noſtro conſilio obtendi poteſt qualecunque Carolinæ privilegium* (id eſt, etiamſi Sedes Apoſtolica & Concilium Tridentinum Carolinam Archiep. Pragenſis velut ſupremi capitis ſui jurisdictioni ſubjecerit, nos tamen noſtrum conſilium ſtare volumus & invito Concilio ac Pontifice eam ab omni jure Archiepiſcopi exemptam Rectori Collegii Jeſuitici noſtra auctoritate ſubjicimus Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas) *quando nos illam ob ejusdem merita abolere penitus potuimus, & quoad ea prorſus abolemus, quæ præſenti à nobis erectæ unioni repugnare contigerit.* (Cum enim hæretici ducentis abhinc annis Carolinam Academiam occuparint, & invito ac gemente Archiepiſcopo tenuerint, merito nunc Archiepiſcopus à nobis plectitur, & ſuo in illam jure ſpoliatur. Hoc enim jus mei me Jeſuitæ docent, quomodo & S. Benedictum contendunt omne jus in Monaſteria ſibi quondam conſecrata & ab hæreticis erepta amiſiſſe, nec eorum reſtitutionem poſtulare jam debere, quippe qui ea eripi ſibi paſſus fuerit, cum à Deo quicquid vellet precibus obtinere poſſet.) *Itaque ſupremum hujus totius Vniverſitatis Rectorem perpetuis futuris temporibus eum eſſe volumus, qui Collegij noſtri Cæſarei Societatis Jeſu Rector pro tempore exſtiterit, à Superioribus ejusdem Societatis de more inſtitutus.* Id eſt, quemcunque Patriarcha Jeſuitarum ſuum in Bohemiæ regno Proregem eſſe voluerit. De jure autem quod in Carolinam habet Archiepiſcopus, ita mox ſancitur: *Præſenti diplomate jus illud auferimus, abrogamus caſſumque eſſe auctoritate noſtra pronunciamus. Inſuper ſubjicimus eidem Rectori omnes & ſingulos Trivialium ſcholarum in urbe Praga Magiſtros, & quoſcunque Pædagogos; qui in omnibus ſeſe dicti Rectoris, aut delegatorum* ejus

Sacrilega Bulla à Jeſuitis fabricata contra Bullam Pōtificis.

Volūt eſſe domini Academiæ Pragenſis.

Et jurisdictionē habere in omnes to-

ejus potestati, dispositioni, inspectioni, visitationi accommodent. Nemini verò prorsus liceat ullam novam pædagogiam, aut cujuscunque facultatis &c. nisi obtenta in scripto à Rectore licentia instituere. Quin etiam Rectori OMNIA totius Regni Gymnasia & Triviales scholas, sive jam erectas, sive erigendas subjectas esse volumus. Posthæc eâdem sæculari auctoritate Jesuitę conferuntur *jura Inquisitionis & Correctionis hæreticæ pravitatis, & Censuræ librorum, sive venalium, sive imprimendorum,* quæ ad Archiepiscopum & Ecclesiam Pragensem pertinere, nemini potest esse dubium. Jesuitæ tamen contemptis Conciliorum decretis ipsamque Bullam Cœnæ Domini ludificantes, *totam Academiam* (ait idem Cardinalis) *de facto usurpant, bonaque illius Stabilia administrant & actus publicos ac solennes in ea exercent inconsulto penitus Archiepiscopo.* An ergo adhuc quisquam inveniri poterit, quin clarissimè perspiciat, Jesuitas Societati suæ in regna ac populos Imperium solicitè comparare, ejusq; rei gratia Reges cum Pontifice collidere, utq; omnem Apostolicæ Sedis auctoritatem labefactent & jurisdictionem Ecclesiasticam invadant, ac Bullæ Cœnæ Domini medium digitum intendant, animos eis addere & exemplum præire?

tię Regni ludimagistros, pædagogos & discipulos. Praterea Inquisitionem & librorum Censurã. Cardinalis Archiepiscopi jq invadũt. Et Cæsarẽ cum Pontifice collidunt.

CAPUT XXII.

TErtium documentum est sacrilega multorum Germaniæ Monasteriorum aucupatio & occupatio, quæ abhinc quinquennium contigit, & mutatæ Cæsaris fortunæ causa potissima vereq; fundi Germanici fuit calamitas. Cæsar videlicet mense Mart. A. 1629. Edictum promulgaverat, quo Monasteria omnia inde ab Anno 1552. à Protestantibus occupata veteribus Monachorum Ordinibus, quorum prius fuerant, restitui jubebat. Cujus exemplar cum Romam misisset, Pontifex* mense Majo suo & universi Apostolici Senatus nomine pietati ejus per literas gratulatus fuit gratiasque egit, & Edictum ipsum auctoritate sua ratum esse jussit, tanqvam ad catholicæ Religionis in Germania instaurationem inprimis opporre-

Tertium documentũ infidelitatis Jesuitarum erga Pontificem. Cæsar edictum promulgat, quo Protestantes occupata Monasteria prioribus dominis jubet restituere.

* *Id Edictum Pontifex ratum habet ac laudat.*

Jesuitæ speraverunt ea Monasteria societati datũ iri.

portunum. Speraverunt autem Jesuitæ complura opulenta Monasteria suæ Societati datum, inque Collegia, Scholas, Seminaria conversum iri, eaque re futurum, ut non pauci Collegiorum Rectores eodem quo Abbates jure essent, inq; consessu Procerum Imperii jus suffragii, multa etiam oppida, vicos & castella suæ jurisdictioni subjecta haberent, magna denique ad Patriarchæ sui amplitudinem dignitatis & opum fieret accessio, quippe qui Magnates Imperii habiturus esset imperio ac ditioni suæ obnoxios: quam suam spem minime dissimulant Justæ defens. pag. 274. & placidæ Disceptat. pag. 26. ubi pugnant non minus Jesuitas, quam Abbates *Imperii Status*, sive proceres *esse, & suffragii jus habere posse*, tanquam *viros graves & prudentes, cum quibus iam Comites & Barones sua sponte negotia tractare, & Principes eorum Consilus uti soleant*. Quod minimè mirandum est, de illis saltem Principibus, quos auri sacra fames usque eo infatuavit, ut consulendis Jesuitis Consiliariorum salaria se lucrifacere arbitrentur. Caussam vero spei Monasteriorum obtinendi, duplicem sibi habere visi sunt. Primum quoniam eis de impensa Cæsaris erga Societatem benevolentia satis exploratum esset: Deinde, quia perfacilè fidem aliis se facturos intelligebant, se solos demum fuisse, quorum opera & impulsu tam acer ac præsens Cæsari animus accesserit, ut quod quinque ante eum Imperatores velut nimis anceps & arduum tentandum non putaverint, ipse fidenter nullo periculorum metu suscipere auderet. Neminem proinde vel verbulo intercessurum arbitrabantur, quin Cæsar opulentiora quæque Monasteria in diversis Germaniæ provinciis sita in Collegia Societatis convertere, ipsorumque operam sibi præter omnes alios jam olim mirificè probatam ad populos ab erroribus Fidei ad Catholicæ veritatis agnitionem perducendos experiri vellet. Postquam vero multo aliter evasurum, ac spe præceperant animoque finxerant, ex pluribus Cæsaris decretis & mandatis, & ex illo, quod dixi, Pontificis responso intellexerunt, incredibile dictu est, quàm nefariis, impiis, omnique exsecratione detestandis machinis,

Vt multi Rectores locum haberent inter Status Imperij.

Ideis offendebat Cæsaris ergaSocietatem benevolentia.

Et quoniam ipsi Cæsarem ad edicti publicationem impulissent.

Sed multo aliter mox evenit.

chinis, & rationibus, sive mediis, annitendum sibi putaverint, ut ne Cæsar Edictum illud suum, tanta Pontificis gratulatione & Sacri purpuratorum Collegii acclamatione celebratum, ad rem conferret, sed contrà quàm professus fuerat, in pleraque Monasteria à Protestantibus recepta Societatem ipsorum immitteret. Hac de re operæ pretium fuerit *Astrum inexstinctum* inspicere, eruditissimi cujusdam de D. Benedicti familia Sacerdotis librum, anno superiore typis vulgatum, præcipue verò, quæ quarta Quæstione de multiplici Jesuitarum in Cæsarem contumelia distinctè explicantur. Quoniam verò multis eum librum videre non contigit, nequaquam ab re futurum arbitror, duodecim portenta velut Hydræ capita à Sacerdote illo tanquam Herculis clava armato elisa & perempta hîc enumerari, ut aliis Regibus, Principibus ac Rebuspubl. quantos malorum montes inexplebilis Jesuitarum aviditas & insanum Monarchiæ suæ per fas ac nefas amplificandæ magnisque auctibus augendæ studium Cæsari conciverit, & in omnem Germaniam importarit, tanto manifestius dilucescat, ipsiq; alieno docti exemplo sibi quid ex usu sit, eo rectius constituere possint.

Omnia ergafecerunt, ut Cæsar edictum non exsequeretur.

Societas velut Hydra venenatis circumvallata colubris Herculem cũ clava invenit P. Romanũ Hajum Benedictinum.

Caput XXIII.

PRimum eorum mediorum velut Hydræ capitum fuit Aulæ Cæsareæ & Consilii ejus universi infamatio: alterum Pontificis erga Cæsarem irritatio & ad rescindendum Edictum ejus tanto cum plausu Romæ exceptum stimulatio. Romam quippe libellum miserunt sic inscriptum: *Animadversiones in causa bonorum Ecclesiasticorum & Monasteriorum exstinctorum in Germania.* In quo libello quam enixè omnia fecerint, ut Cæsaris Consiliarios impietatis, temeritatis, hostilis erga sedem Apostolicam odii, hæreseos denique suspectos Romæque invisos redderent, & Pontificem ad Edicti Cæsarei rescissionem vel abrogationem & condemnationem impellerent, ex istis ejus verbis judicari potest: *Ante omnia animadvertendum est, Cæsareum Consilium in hunc*

Primum & secundum Hydræ Jesuitica caput.

Atrocissima con-

Contumelia in Cæsarẽ omnesq; ejus Consiliarios. scopum collimare, ut Summus Pontifex à negotio reparationis Germaniæ ad Catholicam Religionem totaliter excludatur, & quicquid in illo fieri expediat, per dictum Consilium ordinetur ac disponatur, & per Cæsaris Commissarios exsecutioni mandetur. *Edictum Cæsaris Pontifici invisum reddere conãtur.* Hoc autem non obscurè colligitur inprimis ex vulgato illo Cæsaris Edicto de Ecclesiasticis bonis restituendis Pontifice non præmonito, neque illius voluntate explorata, quibusnam illa essent restituenda. Neque est solum exclusio Pontificis à reparatione Germaniæ, quam hujusmodi Consilium intendit, sed in excussionem TOTIUS jugi Apostolicæ jurisdictionis per TOTUM dictum Imperium collimat. *Cæsaris Consiliarios impietatis & temeritatis erga Pontificem insimulant.* Quod autem dictum Consilium tam IMPIE ET TEMERE Sedem Apostolicam impetat, ex eo provenit, quod aliqui in illo sint dictæ Sedi pessimè affecti, alij Politici, qui ut Principi applaudant, illius auctoritatem in OMNIBUS exaltare student. Nonnulli vero illorum pati non possunt amplissimam Papalem potestatem, & signanter, quod Imperialis sit ei subjecta, libenterq; vellent, ut Summi Pontifices secundum priscum morem Imperatoribus subessent: & forte aliqui ibidem non desunt, qui sub larva Catholica hæresin in corde fovent. *Eosq; in hæresis suspicionem vocant.* In eodem Consilio est Abbas quidam Monasterij Cremsmünster vulgò nuncupati, professus olim Cistertiensis, & nunc Ordinis S. Benedicti. Neminem jam usque eo hebetem & obtusum temerè inventum iri arbitror, quin verissimam & justissimam esse agnoscat istam Benedictini illius Sacerdotis epicrisin seu Censuram: *Sunt improbissimi famæ alienæ depeculatores.* *His nempe hominibus talis est causa, ut nisi cum optimorum demigratione sit conjuncta, nulla putetur: discordias inter suprema Reipubl. Christiana capita seminare credunt esse patrocinari veritati, quam saluam esse negant, quamdiu Principes isti inter se non colliduntur. Hoc est flammas in Europa suscitare* (sicut gloriantur Patrem Societatis Ignatium esse illum, de quo CHRISTUS dixerit, *Veni ignem mittere in terram*) *hoc est schismatis vicina jacere fundamenta: hoc est Classicum in Aulis Principum canere, hoc est, Pontificem Maximum & Imperatorem Augustissimum inter se committere.* *Et Europæ incendiarii. Schismatis auctores.*

CAP. XXIV.

CAPUT XXIV.

TErtium Hydræ caput fuit circumventio Pontificis & Romanæ Curiæ, quibus manifesto mendacio imposuere, quasi *OMNIA ferè Germaniæ Monasteria*, quæ Protestantes Catholicis restituere jussi fuerant, *vel sub ruderibus jacerent, vel solo penitus æquata essent*, adeoque non nisi *quam plurimis annis & innumeris sumtibus reædificari possent*. Itaque si Monachorum Ordinibus restituantur, ut ea instaurent, & Religiosam in illis disciplinam observent, populosque Verbi & sacramentorum administratione ædificent: eas neque id facturos, & *insuperabilibus illis difficultatibus legitimè apud omnes excusatos futuros esse*. Sed si fundi eorũ Jesuitis transcribantur, nullam in eis moram fore, quin statim ad operam animabus navandam docendamque juventutem accingantur. Hoc ipso autem meriti fuere, ut cum Anania illo sacrilego ex Petri ore audirent: *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus sed Deo*. Vide Astri pag. 140.

Tertium Hydræ caput Põtificis circũventio.

Deo non hominib9 mentiuntur.

Quartum caput fuit infamatio omnium veterum Ordinum Religiosorum, quod non hic aut ille Monachus, sed *ipsi Ordines Dei vineam sibi commissam ipsi exterminaverint, quod domos orationis in latronum speluncas converterint, quod multo majus quàm ullum genus hominum, Ecclesiæ damnum intulerint, quod hodie quoque Monasteriis Germaniæ sint ulcera, vulnera, putredines, homines otiosi, ignavi, inutilia terræ pondera, ventres pigri, stupidæ pecudes*, qui sibi ipsis consulere nesciant, sed *cùm Spiritus renovationi quiete vacare volunt, ad Collegia Jesuitarum se conferre necesse habeant*: ac propterea Pontificem & *Cæsarem in conscientia obligari*, ut Monasteria non Ordinibus restituant, sed in societatis Collegia convertant. Quàm scelerate verò & impudenter sic in veteres Ordines mentiti fuerint, argumento sit, quod magni nominis Jesuita P. Adamus Conzen in Politici sui voluminis lib. 6. cap. 11. hoc sanctitatis testimonio eos prosequi non dubitavit: *Veteres familiæ Religio-*

Quartũ Hydræ caput infamia omnium veterum Ordinũ Religiosorũ.

In quos sceleratè eos mentiri.

Ipsa eorũ confessio.

one demō-stratur.

giosorum pristinam integritatem rigoremq́ receperunt, & in dies magis magisque efflorescunt, magna spe meliorum temporum, cum tam sancta, fortia, Deo sacratissima (Monachorum) *pectora caliginoso sæculo monstrent contemnere sæculi pompas, & sese pro nobis apud Deum interponant.* Horum similia oculis comperta testatus fuit serenissimæ & sanctissimæ memoriæ Princeps Guilhelmus Bavariæ Dux suis ad fratrem Ernestum Electorem Coloniensem literis, in quibus erat: *Nuper in Suevia majorem partem & præcipuorum quidem Monasteriorum meis ipse oculis tali modo reformatam & in tam egregio statu vidi, ut magna inde lætitia cor mihi perfusum fuerit. Quoties ad ejusmodi benè reformatum Monasterium deveni, visus mihi sum videre verè priscam Regulam & veterem Zelum ac pietatem, sicut sine dubio sub ipsa fuit initia, quando fuerunt instituta, & sicut in veteribus libris descriptum invenitur.* Et adhuc quisquam dubitabit, quin Jesuitæ plus quam quisquam alter mortalium audire meruerint illam Dei expostulationem Psal. 49. *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem* (Monasteriorum) *currebas cum eo, & cum adulteris (verbum Dei adulterantibus, & in astutia ambulantibus, nec ex sinceritate sicut coram Deo loquentibus.* 2. Cor. 2. & 4. cum his ergo) *portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnavit dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ* (Ecclesiæ) *ponebas scandalum.*

Et oculato testimonio Ducis Bavariæ.

Dei adversus Jesuitas sententia.

CAPUT XXV.

Quintum Hydræ caput Cōtumelia in sedē Apostolicā, multosq́ laudatissimos Pōtifices.

QVintum Hydræ caput fuit infamatio sedis Apostolicæ & complurium Romanorum Pontificum, qui Diplomatis suis & epistolis decretalibus Monachos Regulæ ac præscripto S. Benedicti satisfacere, & *ad salutis profectum tendere* testantur ac pronunciant, si tribus immò etiam si quatuor cujusque hebdomadæ diebus quacunque carne vescantur, quemadmodum videre est in literis Innocentii III. Clementis V. Nicolai

colai IV. Benedicti XII. & Clementis VII. quod illi testimonium & sententiam horribili illo Pontificiæ sanctionis Carmine muniunt: *Nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, constitutionum, declarationis, &c. infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum.* Jesuitæ tamen isti comminationi non aliter ac bruto fulmini strenuè oppedere, & exemplum aliis ad contemnendas Pontificias diras se ipsos præbere non dubitant, dum in *Placida Disceptatione* sua pag. 22. hac ipsa de causa Pontifices exsecrationi ac maledicto ita subjiciunt: *Si in exsecratione sint & maledicto, qui mutant intentiones fundatorum, qui Monasteria condiderunt, nescio quomodo* (Pontifices) *salui esse valeant, qui eas nulla Ecclesiæ aut publica necessitate mutarunt. Dicent, Usu & consuetudine sic fieri solet* (ut carnibus vescamur) *dispensatum est. Non repugno. Usus edendi Regulam vicit; intentionem fundatoris mitigavit: dispensatio sustulit. Et causa quæ?* (cur Pontifices dispensarent: utrum Necessitas, an publica utilitas? Nequaquam, sed tantum) *ut Monachi mollius haberentur.* Similiter pag. 16. vitio vertunt Pontificibus, *quod Regulas fundatoris S. Benedicti concupiscentiæ Fratrum attemperaverint, ut jam Regulam Benedicti non observent, professione & vita pugnante.* At enim sine necessitate aut publica utilitate legibus quemquam solvere; ne vel Deo, vel hominibus datam servare fidem necesse habeat, hoc S. Bernardo iudice est *Bestialem esse, nec Dispensare, sed Dissipare,* sive, Lupi opus facere. Et istam *potestatem* Pontificis *jus tertij* (quanto magis Dei?) *sine causa tollentis, esse injuriosam, & contra legem divinam & naturalem, civilem & canonicam,* adeoque *verè potestatem Diabolicam,* Canonum consulti ipsis quoq; Jesuitis assentientibus disertim pronunciant. Quid vero dici tandem cum majore contumelia & ignominia in tot Pontifices poterat, quam eos Diaboli, non Dei potestate usos esse, & Ecclesiam non congregasse, sed dissipasse, nec ædificasse, sed destruxisse, & temeraria Dispensatione

Et cōtemtꝰ dirarū Pontificiarum.

Dicunt Papas esse in exsecratione & maledictis.

Quia potestate abusi fuerint in destructionem.

Sine necessitate aut publica utilitate dispēsantes.

Et Hæresi Lutheranæ fene-

strā aperuerint. ne causam fuisse, cur Religiosa disciplina in Monasteriis relaxata latam Lutheranismo aliisque Hæresibus fenestram aperiret? quod Jesuitæ eodem libro invidiose insimulant.

CAPUT XXVI.

Sextum Hydræ caput circumventio Cæsaris, cui Confessarius suus mentitus fuit de Abbatibus Ordinum Procuratoribus.

SExtum Hydræ caput est indigna Cæsaris optimi circumventio, cui Confessarius suus, ut complura Benedictinorum & Cistertiensium cœnobia Societati conficeret, duplici mendacio callidè subrepsit & imposuit. Vnum fuit, Abbates Hasfeldensem & Cæsariensem nomine congregationum seu familiarum religiosarum Bursfeldensis & Cistertiensis *omnia Virginum, quædam etiam obscuriora virorum Monasteria*, quæ ipsorum Ordinibus Protestantes eripuissent, Societati Jesu ad Collegia & seminaria condenda *sponte ac liberaliter obtulisse*. Alterum, id eos fecisse tanquam dictarum Congregationū *Commissarios cum plenissima potestate ad Cæsaris Regiam missos*. Sed in utroq; eum scientem ac volentem mentitum fuisse, iidem illi Abbates privatis publicisque tabulis Deum Divosque omnes contestantur, eique dicam grandem ad Christi judicis tribunal denunciant, Episcopus denique Viennensis, quo ille teste id gestum scripserat, se vero præsente conscioque quicquam ejus gestum constanter abnegat, sed nec Abbates illos quicquam alienandi facultatem ullam secum attulisse, quippe quibus satis constaret, nihil aliud à Congregationibus suis mandatum fuisse, nisi ut omnia Ordinum suorum Monasteria restitui postularent, quæ omnia in ejusdem Astri Quæstione septima luculentissime demonstrata Lector inveniet. Cæsar

Cæsar à cõfessario circũventus Monasteria multa attribuit Jesuitis.

tamen fide confessario suo habita Fridlandiæ Duci & Comiti Tillio statim mandavit, ut in Jesuitarum usus complura dictarum Congregationum cœnobia in diversis Germaniæ regionibus sive Circulis occuparent; id quod & factum fuit, atque alicubi Jesuitæ magno cum tumultu & terrore nobilium virginum domicilia ingressi, cumque illæ migrare jussæ renitentur, parum amanter medias mulieres ulnis circumplexi foras extulerunt, & ex suis exædificatas ædibus in malam rem

Qui Vir

maxi-

maximam facessere jusserunt, nihilo tamen feliciori eventu, quam qui Mich. 2. & 3. *Prophetarum* illorum familiæ prædictus legitur, *qui seducebant populum Dei in pecunia divinantes, qui* tanquam bulimiâ & Lupina alienorum bonorum fame rabidi *mordebant dentibus suis*, & Ezechiæ pio quidem Regi, sed otiosa & inerti innocentia nimium confiso, Aulæque ejus optimatibus nihil quæstu lucroq; prius habentibus *pacem prædicabant*, nec nisi secunda omnia augurabantur, *qui concupiscebant agros & violenter tollebant, & rapiebant domos, & calumniabantur Viros & hæreditatem eorum.* Sed nec Mulieribus parcere solitos, quamvis illæ tempus omne divinis laudibus decantandis transmitterent, ita Deus queritur: *Mulieres populi mei* (sive negotium publicum gerentes) *ejecistis de domo deliciarum suarum: à parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum*, ut pro nocturna ac diurna earum psalmodia nunc puerorum vagitus & ejulatus sub plagosis pygoribus vapulantium audiatur: quorum Prophetarum cum ita sint Jesuitæ factis suis similes, ut ex eodem puteo aqua aquæ similior peti nequeat, nihil quicquam dubii relinquitur, qui non minus ad ipsos ista Dei interminatio pertineat: *Ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra & non ambulabitis superbi* (nec diu vobis de Cæsare mendaciis circumscripto gratulandi causam habebitis) *quoniam tempus pessimum est* (in quo hæc lugubris passim audietur nænia) *Depopulatione vastati sumus. Pars populi mei commutata est*, (provincia veterem dominum novo mutavit) *quando recedit à me, qui reversus est ut regiones nostras dividat*, agrosque nostros militibus suis assignet? *surgite & ite hinc* (alienarum domorum subsessores) *quia non habetis hic requiem*, nec est, quod vobis diuturnam in sacrarum virginum domiciliis commorationem aut Eberndorfiensem *Quietis domum* polliceamini.

gines sacras ex Monasteris exædificarunt. Sicut quõdam fecerunt avari Prophetæ Regis Ezechiæ. Alienarũ hæreditatum captatores. Qui fæminas Dei laudatrices dominibus suis ejecerũt. Quorum eventus manet Jesuitas.

Tãquam causam publicarum calamitat.

Caput XXVII.

SEptimum Hydræ caput est impostura & circumventio Lectorum, quibus summa vi persuasum voluerunt, *Jura Pontificia*

Septimũ Hydræ caput.

tificiæ & Cæsareæ OMNES QVE sapientes ita sentire, Monasteria Germaniæ abhinc sexaginta annos à Protestantibus occupata esse exstincta, eaque causa nemini de jure debita, sed ad Pontificis arbitratum liberamque dispositionem devoluta, ita ut ea Pontifex in alios, quam quos eorum conditores cum Ecclesia pacti sunt, usus convertere quibusque velit donare possit, quod contra in eodem Astro pag. 118. & passim alibi luce meridiana clarius fit, NEMINEM unquam ita sensisse & docuisse, eamque doctrinam, quam Jesuitæ *juris regulam, & indubitatam, receptissimam Canonicamque esse* asseverant, perspicuè Canonum sanctionibus & omnibus earum Interpretibus adversari, neque ante exortam istam controversiam à quoqvam mortalium auditam, hoc amplius autem ab ipso Cæsaris Confessario aliisque Jesuitis consultatione ad Cæsarem scripta impugnatam ac damnatam fuisse, sicut eam legentibus Astri pag. 288. manifestè apparet. Optimo proinde jure dici potest, quod etiam cum animæ meæ periculo ad horrendum supremi Judicis tribunal testificari paratus sum, nihil esse causæ, cur quisquam credat, magis aut Lutherum aut Caluinum de Ecclesiæ Catholicæ doctrina & fide mentientes, quam Jesuitas de sacrorum Canonum sententia mendaces & impostores se præbuisse, nec unquam in universo terrarum orbe inventos fuisse, in quibus pariter atque in Jesuitis impleta cerneretur illa S. Petri prophetia: *Erunt in nobis Magistri mendaces, cor exercitatum avaritia habentes, qui in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Væ autem omnibus illis, præcipueque Principibus, quorum animas quæstui habent, quos etiam considerare & *disponere sermones in judicio* par est, quam Christo pro se rationem reddituri sint, quod sibi ab hominib⁹ Avaritię & tam multiplicis fraudis atq; imposturæ compertis & convictis tam parum caverint, eisque animas suas tanta cum securitate credere perrexerint, cum scriptum scirent: *Avaro nihil est scelestius. Hic enim & animam suam* (quanto magis ani-

Mendacium de communi Jurisconsultorum sententia de Monasteriis vacantibus. Cum tn. nemo unquam ita ut ipsi senserit. Cum etiã ipsi Jesuitæ paulo prius contrarium docuerint Jesuitæ non minꝰ mẽdaces, quàm Lutherꝰ aut Calvinus. De Principũ animabus in avaritia negotiantur. Principes in conscientia oblig antur à Jesuitis sibi cavere. Si enim sunt Avari, sine dubio nihil illis esse sceleratius & crudelius.

nimam proximi) *venalem habet* (Diabolo eam exiguo lucro licitanti addicturus) *quoniam in vita sua projecit intima sua*, id est, omnia misericordiæ viscera ex animo ejecit, ut nec sua illum, nec aliorum animæ quicquam miserescat, Eccles. 10. O Principes, *miseremini* saltem vos *animæ vestræ placentes Deo*, Eccles. 30. Placebitis autem *servientes ei in timore*, nihilq; negligentes. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, Prov. 28. *Homo sapiens, in OMNIBVS metuit, & in diebus delictorum attendit ab inertia*, id est, quamdiu in eo est statu ut possit delinquere, animadvertet omnia, nihilque negliget. Eccle. 18. *Qui timet Dominum, nihil negligit*, Eccl. 7. *Qui* autem *negligit viam suam, mortificabitur*, Proverb. 16. *Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem. Vir iniquus* (sive Avarus, *nihil* enim *est iniquius, quam amare pecuniam*, Eccle. 10. *lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam*, Prov. 16. *A Consiliario* proinde *serva animam tuam* (maxime verò ab eo, cui conscientiæ credis arcana) *prius scito* (& diligenter inquirito) *quæ sit illius necessitas*, quid vel sibi vel suis putet necessarium, Eccle. 37. quia *Inventi sunt in populo meo impij, insidiantes quasi Aucupes* (alienorum prædiorum & fundorum captatores) *laqueos ponentes & pedicas ad capiendos Magnates. Sicut decipula plena avibus* illicibus, *sic domus* aut Collegia *eorum plena dolo. Ideo magnificati sunt & ditati, incrassati sunt & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè. Causam viduæ non judicaverunt* (non eis curæ fuit, ut Ecclesiæ sponso viduatæ, hoc est, Episcopo vel Abbate, alterius sponsi fidei ac tutelæ mandarentur, sed ipsi earum doti inhiarunt) *causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non indicaverunt* (quorum patrimonium sunt opes Monasteriorum) *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea?* Ierem. 5.

Principes eos debent timere.

Inertiam & negligentiam fugere.

Et Consiliarios maximè Confessarios diligētissime explorare.

Quia illi sunt pleni dolo.

Ad suum quæstum omnia revocāt.

CAPUT XXVIII.

Octavum Hydræ caput est suasoria Sacrilegii, quoniam contenderunt *Pontificem & Cæsarem in conscientia obligari, ut*

Octavum Hydræ

caput, Suasio sacrilegii & Ecclesiasticorũ bonorum in alios usus transferendi. Idq; propter injustũ lucrũ Societatis. Cæsar professus fuerat se curaturum ut Monasteria iis restituerẽtur, pro quibus condita fuerant. Propterea à Confessario suo laudari merebatur. Sicut à Papa & Cardinalibus eo nomine laudatus fuit.

ri, ut ultimas defunctorum voluntates nulla necessitate rescindant irritasque faciant, & bona ac prædia, quæ certis pactis legibus pii homines Ecclesiis donarunt aut testamento reliquerunt, *in alios usus convertant*, non quod ulla ejus rei sit necessitas, aut magna & evidens Ecclesiæ utilitas (quo sanè casu Pontifici voluntates testamentorum pro potestatis plenitudine mutare fas est) sed quod propter magna societatis merita æquius sit Jesuitas alienas hæreditates cernere, quam veteres Monachorũ Ordines ad Patrum suorum patrimonia, id quod divinæ humanæque leges jubent, postliminio pervenire. Cæsar tanquam justitiæ patronus & Ecclesiarum advocatus Romam scripserat, se salvo Principis & Advocati officio permittere non posse, ut Pontifex *Monasteria ex Protestantium manu vindicata aut vindicanda sub prætextu majoris boni ab iis Religiosorum Ordinibus, quibus à primæva fundatione consecrata fuerant, ad alios Ordines transferat*, sed omninò sibi curandum esse, ut suo quæque Ordini restituantur, *Coram Deo enim vix ac difficulter excusari posse, si similes in jure divino stabilitæ fundationes contra Fundatorum mentem & institutum aliò convertantur & applicentur : prout & injure communi salubriter ordinatum & cautum, ne defunctorum ultimæ voluntates & dispositiones ullatenus mutentur, sed in statu suo inviolabiliter relinquantur.* Istam Cæsaris professionem & contestationem Confessarius ejus, si quicquam in eo fidei, religionis & conscientiæ fuisset, non modò comprobasset, sed ultro etiam laudasset, eoq; nomine plurimum ei gratulatus esset, maximè cũ ipsum Pontificem & universum senatum Apostolicum tantam ei gratulationem fecisse ac gratias egisse, & per Oratorem ejus Principem Sabellum, similiterque per Nuncium Apostolicum promisisse sciret, nihil adversus illam ejus voluntatem in Monasteriorum causa Romæ tentatum iri. Ille autem quod videret per illud Cæsaris propositum seu *resolutionem* spem omnem de multorum Monasteriorum opibus & honorũ prærogativa Societati suæ lucrifaciendis irritam fieri & evanescere, aliquid brevibus Gyaris & carcere Acherontico dignum faci-

faciendum sibi arbitratus est, ut ne tam optata rei ex usu Societatis & Patriarchæ sui voto gerendæ sibi effluerct occasio, cui similem proximis centum annis nunquam rediturain omnes uno ore Socii fremebant. Cæsarem igitur libello monuit, *in literis ejus Romam missis propositiones contineri scandalosas, temerarias & erroneas, cum fidei Catholicæ principiis non satis cohærentes, plurimumque juri & auctoritati Pontificis detrahentes:* ac propterea ad officium ejus pertinere, *ut eas propositiones contra mentem suam obreptitiè in literas illas incaute à non nemine intrusas fuisse*, ac sibi displicere testatum faciat. Aliter si faceret, *ac pertinaciter vellet errorem defendere graviorem ei censuram* (id est excommunicationem) *ab Apostolica Sede metuendam esse.* Quis jam in isto Confessariorum genere non agnoscat illos pii regis Ezechiæ & Principum ejus *Prophetas*, qui ut paulo prius demonstravi, *mordebant dentibus suis & prædicabant pacem*, Si in mulierum Dei laudes canentium domos deliciarum immissi essent: *Si quis autem non dedisset in ore eorum quippiam, super eum sanctificabant prælium, ac tanquam divini oculi pupillam læsisset, ipsi æternæ salutis dispendium, ejus similiter posteris Deum malefactorum ultorem* comminabantur, quomodo Moguntinæ provinciæ Jesuitas Cæsaris Consiliarios ipsis ad Monasteriorum adeptionem non suffragantes terruisse, in Anatomia Societatis pag. 95. ipsis eorum verbis docetur. An verò hoc non est *magistrorum* illorum *mendacium* opus, *quos in populo dei futuros & fictis verbis in avaritia de hominum animabus negotiaturos* Petrus prædixit? Non est hoc illud ipsum facere, quod pseudoprophetis Deus sic exprobrat Ezech. 13. *Mærere fecistis cor justi mendaciter, quod ego non contristavi, & interficitis animas quæ non moriuntur?* Cum n. Cæsar justissimè faceret, pariterq; divina & humana jura sanctè coleret, ac propterea Deo ipsi placeret, ab ejusque Vicario magnis ferretur laudibus, bellus iste Confessarius mœrorem ei offerre, & animam ejus quæ non moriebatur interficere, id est, qui nihil morte dignum admiserat, eum lethalis culpæ reum agere non pertimuit. Cui sane est, quod sodales sui gra-

Ille autem Cæsarem acerrimè propterea reprehendit.

Et Excommunicationem ei denunciavit.

Sicut pseudoprophetæ regis Ezechiæ.

Et regis Sedechiæ.

Cæsaris Confessa-

vius crucem merebatur.

gratulentur, ejus mansuetudinis Principem ei obtigisse, cujus animæ *venenum aspidum sub labiis* absconditum propinare, id est, sacrilegium suadere impunè posset. Alio enim præditus ingenio ac more tanti sceleris auctorem aut suasorem merito mactaret infortunio, aut saltem istis Christi verbis à se repelleret: *Vade post me satan, scandalum es mihi, non enim sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* Sic quippe visum est spiritui sancto & Episcopis cum Symmacho Pontifice in sexta synodo congregatis sancire: *Valde iniquum & ingens sacrilegium est, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel pro salute vel requie animarum suarum unusquisque Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his, quibus hæc servare maximè convenit, Christianis & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus in aliud transferri vel converti permittatur.*

Quia Cæsari auctor fuit ingentis sacrilegij.

Caput XXIX.

Nonũ Hydræ caput Doctrina seditiosa Imperij pacem turbare idonea.

NOnum Hydræ caput est contumax & seditionabunda adversus Imperii Romani fulcra disputatio, qua vel ab infestissimo Cæsaris & Imperii hoste haud fere quicquam æque pestiferum excogitari poterat. Sunt autem duo ejusmodi fulcra, Imperii fatum & pacem ac felicitatem publicam sustinentia. Unum est Cæsaris auctoritas, alterum ejusdem summa juris in Imperio reddendi & sanctionem de Religionis pace interpretandi & exsequendi potestas, quorum utrumque inviolatum ac velut sacrosanctum haberi salutis omnium vehementer interest. Auctoritatem Cæsaris dupliciter Jesuitæ imminuisse inveniuntur. Primum enim tales in eum culpas contulerunt, quibus odium illi & contemtum conflari necesse erat, quæ duo principes sunt omnium imperiorum evertendi causæ, sicut vicissim Amor & Reverentia seu Respectus Principatui robur afferunt saluumque præstant. Odium Cæsar in se commoveat necesse est, si ea credatur fecisse, quorum causâ graviore Pontificis censura notari, sive diris devoveri & sacris interdici metuerit. Ista quippe non nisi postremæ & ad summum perductæ malitiæ pœna est: ac propterea Jesuitæ

Duo Imperij fulcra.

Jesuitarũ molitiões contra auctoritatẽ Cæsaris.

Odium abhomini bq in eum concitãt.

tæ Imperatorem aut Regem à Papa excommunicatum & ipso regni jure excidere Tyrannumque fieri, ac sine ullo piaculo interfici posse docent, quæ una est Deuteroseon illarum, propter quas irritum fit Dei præceptum de reddendo Regibus honore debito. Itaque Tursellinus Jesuita in sua Historiarum epitome nihil inter sententiam anathematis & regni abrogationem facit discriminis: *Bonifacius* (inquit) *Octavus Philippo Pulchro Galliæ Regi iratus eum anathemate percussum regni jure spoliavit. Et Gregorius XIV. Henricum Regem Navarræ anathemate notatum regni jure privavit.* Atqui Cæsarem anathemate feriri meruisse perspicuè Jesuitæ contenderunt. Vt enim supra monui, Confessarius ejus nulla usus circuitione denunciaverat, si maneret in sententia, quam suis ad Principem Sabellum literis complexus erat, & Pontificis jus ac potestatem in Monasteriis suo arbitratu adversa conditorum voluntate alio transferendis circumscribere atque impedire pergeret, *graviorem ei Sedis Apostolicæ censuram* sive excommunicationem *fore metuendam.* Ille verò tantum abfuit, ut facti eum pœniteret, Pontificique à se intercessum nollet, ut ista Confessarii sui comminatione tanquam cassa terricula strenuè contemta 2.d.25. April. ao 1630. novis ad eundem Sabellum datis literis, priores literas ratas esse voluerit, iteratoque ei totidem verbis propositi sui constantiam testatus fuerit, *jam ante nobis constat de enixa voluntate ac resolutione nostra, quæ est, ut Monasteria & loca sacra è manibus adversariorum vindicata non nisi ijs Ordinibus, quibus à primæva fundatione consecrata fuerint, restituantur. Nec dubitamus vos istic quoque diligenter curaturos, ut justissimæ illi intentioni nostræ stetur, nec quicquam in contrarium à Pontifice concedatur. Attamen ut ipsi Ordines magis magisque agnoscant, Imperialem nostram solicitudinem sibi quacunque occasione constare* (nec Jesuitarum machinis à proposito dimoveri) *iterato vobis committimus, ut invigiletis, ne & in hoc particulari præproperè quicquam Romæ statuatur, quod Ordinum juribus quoquo modo præjudicare possit.* Jam verò de ista Cæsaris in proposito suo tanquam justo constantia Confessarii ejus iudicium

Dii eum dicunt meritum ut excommunicetur, & imperium ei abrogatur.

Propter pertinaciam in opinionibus erroneis contemta Cõfessarii admonitione.

dicium habemus, in libello ejus ab ipsis Jesuitis publicato: eam nimirum esse *pertinaciam in propositionibus temerariis, erroneis & scandalosis, cum fide Catholica pugnantibus & juri ac potestati Pontificis detrahentibus.* Jesuitæ similiter in Justa defensione sua postquam Cæsaris perseverantiam, sive ut ipsi interpretantur, pertinaciam ex istis aliisque ejus literis compertam habuerunt, adhuc tali eum censura notare non sunt veriti: *literas ejus à jure prorsus alienas esse, & veritati & sacris canonibus adversari, in iisq́; ipsum Sedis Apostolicæ auctoritatem ac jura imminuere, Ecclesiasticas causas ad forum suum trahere, Pontifici leges præscribere & Ecclesiasticam immunitatem lædere.* Quæ omnia nihil aliud habent argumenti, quàm Cæsarem esse Tyrannum & anathemate notari atque Imperio exui dignum, quippe qui nec à Confessario monitus errorem mordicus retinere dubitet. Cujusmodi insimulatione quin Odium in Cæsarem commoveatur, nemini nisi sensus communis penitus experti dubium esse potest.

CAPUT. XXX.

Jesuitæ Cæsarem in contemtũ adducũt.

SEd quoniam monente in Politicis Aristotele *multo plura Imperia Contemtus, quam Odium evertit*, longè atrocioris injuriæ & ad labefactandum Imperii statum potentiora censeri debent, quæ Jesuitæ ad Contemtum Cæsaris pertinentia in totius Orbis conspectu designare ausi sunt. Primum Confessarius suus ei oscitationem & in maximi rebus momenti negligentiam libello exprobrat, *quod literas Romam dederit cum mandatis ac rationibus non tantum temerariis, erroneis, scandalosis, injussis & impiis, sed etiam menti ac voluntati ejus è diametro oppositis, quas certum sit à non nemine Ministrorum ejus obreptitiè in literas illas fuisse intrusas.* Deinde autem cum Cæsar novis, ut dixi, literis Romam & ad plures Episcopos datis testatus esset, se priores illas scripsisse ratasque habere, *& in enixa voluntate sua illis expressa constanter permanere*, inventi sunt Jesuitæ tanta affecti audacia, ut in Justa defensione sua mendacii eum insimularent, omninoque ipso ignorante

Publice & privatim oscitantiam & supinã negligentiam ei exprobrantes.

Atq; etiã Mendacii

& in

& invito ejus argumenti literas scriptas fuisse contenderent. *In epistolas* (inquiunt) *ad Oratorem Cæsareum & quosdam Dominos Episcopos datas præter & contra Cæsareæ Majestatis scientiam ac voluntatem insertum est, eum salva conscientia Pontifici permittere non posse, ut Monasteria Episcoporum mensis uniantur, aut in Commendam dentur, aut pensionibus graventur, aut alteri Ordini, quàm cui dicata sunt, sub prætextu majoris boni concedantur: quæ omnia sunt falsissima. Nam Cæsar talem mentem nunquam concepit, sed unus aliquis homo imprudenter & temerariè ea præter aut contra mentem suæ Majestatis, in literas intrusit.* Jam Lectoris esse volo judicium, quicquamne cum majore Cæsaris contumelia dici à quoquam potuerit. In Astro quidem inexstincto pagina 188. hanc invenio epicrisin, quam haud vereor, ne ipse Imperator verissimam & æquissimam esse non agnoscat: *Hac in re accusat optimum & Augustissimum Principem de crassa & supina negligentia & incuria, quod hujusmodi rationes ad Oratorem & alios sæpius propria manu subscribens non attenderit, quidnam subscriberet: non interrogaverit, quid literæ solito prolixiores continerent: quod eas rationes subscribens nunquam viderit, nunquam legerit, de ijs nihil unquam antea audierit: quod subscripserit errores, falsa, scandalosa, cum principiis fidei Catholicæ non satis cohærentia: quod in Aula sua assumat, amet ac remuneretur homines, vel etiam Consiliarios pessimos, qui contra ejus voluntatem epistolas concipiant, intrudant tam enormia, qui infideliter ipsi referant, qui secreti senatus, vel Aulici Consilij decretis contraveniant, qui erronea, falsa, scandolosa, libertati Ecclesiasticæ contraria subscribenda porrigant, qui sigillo Cæsaris abutantur, taliaque roborare, & falsariorum instar Cæsarem, Principes Imperij, aliosque fallere temerariè præsumant. Hæc omnia ab Imperatore sciri ac tolerari, eumque adeo extra culpam esse minimè posse.* Vt enim Prover. 22. scriptum est: *Gloria Regum est investigare sermonem, & præesse in sollicitudine* (Rom. 12) nihilque negligere, quod ad populorum ipsis commissorum salutem pertineat. Eos quippe Deus suos in terris Vicarios

...tum insimulãtes.

Atrocitas injuria Cæsari à Jesuitis facta.

Reges decet esse Leones non Verveces.

carios constituit, ut sint *Terrori mali operis, vindices in iram ei qui malum agit, ut quisquis malum fecerit, eos timeat*, Rom. 13. Vult ergo eos Leones esse, quibus nemo barbam impune vellat: non autem Oviculas, quos quisquis velit suo arbitratu usque attondeat. Sic enim ipse spiritus sanctus docet Prover. 16. *Indignatio Regis nuncij mortis: & vir sapiens placabit eam.* Prover. 20. *Sicut rugitus Leonis, ita & terror Regis: qui provocat eum, peccat in animam suam. Rex qui sedet in solio judicij dissipat omne malum intuitu suo. Dissipat impios Rex sapiens & incurvat super eos fornicem.* Proverbior. 24. *Time Dominum & Regem, & cum detrectatoribus* (Regis) *non commiscearis: quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit?* Eccl. 10. *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti* (seu potenti) *quia & avis cœli portabit vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit sermonem*, id est, nunquam homines desunt, qui Reges & Principes, non aliter quàm Aves rancida cadavera odore persequantur, & in Aulas esuri convolent. Isti quæ adversus Reges in sinu eorum effuderas tutissimisque auribus deposuisse visus fueras, gratiam eorum aucupantes enunciabunt, tibique ruinam & perditionem afferent. Reges enim officii memores etiam eos, qui de privatorum fama detrahunt, severe multant, nedum illi suos obtrectatores impune auferre sinant, quod de bono nomine ad benè ex usuque publico imperandum tam ipsis necessario detraxerint. David certè *vir secundum cor Dei* (1. Reg. 13.) *qui pavit Israel in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos* (Psal. 77) quod Regum erga detrectatores, & peccatores terræ, seu publicè noxios, nec sibi tantum peccantes, officium fit, suo eos exemplo hoc modo Docet Psal. 100. *Detrahentem in secreto proximo suo hunc persequebar* (sive ut est in Hebræo, *interficiebam*) *superbo oculo & insatiabili corde* (Hebraicè, *lato corde*) *cum hoc non edebam* (nam *latus corde jurgia concitat*, sive ut est in Græco, *Vir inexplebilis concitabit litem*, sicut nunc Jesuitarum exemplo cum maximè apparet, Prover. 28.) *Non*

Nemo subditorũ impunè eis detrahere debet.

A Davide Reges officium debent discere.

habitabit in medio domus meæ, qui facit dolum (ſicut Jeſuitas multipliciter feciſſe oſtenſum eſt) *qui loquitur mendacium, non firmabitur in conſpectu oculorum meorum* (nemo autem periculoſius unquam mentitus eſt, quàm Cæſaris Confeſſarius ejusque participes) *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Hujus exemplum parum imitatus fuerat rex Ezechias, ſed ſuæ ſibi pietatis conſcius & multiplici divinæ erga ſe benevolentiæ documento confiſus, in munere ſuo ſomniculoſius verſari cœperat, & ipſo interea *in domo Domini pſalmos ſuos decantante*, Principes ejus, Aulæque proceres, per occaſionem *ædificandæ arcis Sion*, Templique multo opere adverſus externos hoſtes muniendi iniquiſſimis exactionibus populum deglubebant, nec minus avariſſimi *Sacerdotes in mercede docebant*, & inexplebiles *Prophetæ* ſeu Confeſſarii *in pecunia divinabant ac Mulieres* cantatrices, Dei laudibus vacantes, *de domibus ſuis ejiciebant:* quibus rebus uſque eo Deus fuit offenſus, ut niſi eum Ezechias & Principes acta pœnitentia placaſſent, urbem Jeruſalem ipſumque templum funditus everſurus fuerit, Mich. 2. & 3.

Cavere autem Ezechia negligentiam.

Quæ toti regno futura fuit capitalis.

Caput XXXI.

Ex quibus planiſſimè apparet, quam indigna Jeſuitarum in Cæſarem ſit contumelia, cum in eo tantam regalis officii negligentiam libris editis incuſant, ut nec ipſe curæ habeat, quid de rebus longè maximi momenti ad ſedem Apoſtolicam & ad Imperii Principes perſcribat, & Miniſtros ſua credulitate & lenitate, ignoſcentia ac manſuetudine tam Otioſis animis abuti, ſibique os ſublinere, fucum facere & illudere patiatur, nec gladio ſibi in mali operis timorem dato eorum infidelitatem ulciſci, ſuæque dignitati in futurum tempus conſulere animum inducat: non aliter ac ſi eſſet Imperator Hiſtricus aut Scænicus, idemque parum decenter partes ſibi mandatas tractare ſciret: qualia de optimo maximo Principe vel intra privatos parietes prædicantem non facile quiſquam niſi

Jeſuitæ in Cæſarem côtumelioſi.

Ac ſi eſſet Imperator in comœdia.

Docent alios exemplo suo cæsarem contemnere, ejusq; literis & mandatis refragari.

graviter offensus ferendum sibi putaret. Jesuitis tamen verecundiæ non est in orbis terrarum Theatro sic eum ob omnium oculos ad irrisum & contemtum traducere, totq; tam ingentia in societatem beneficia ista novi generis contumelia remunerari, ut jam parata omnibus sit excusatio, si eis omnia Cæsaris jussa contemnere & ludibrio habere, nec mandata ejus quicquam morari eisque parere & dicto audientes esse libeat. Dicent enim: Quî ego scire possum, aut credere necesse habeo, istam Cæsaris mentem ac voluntatem esse, cum Jesuitæ, interque eos ipse Cæsaris Confessarius, non modo intra privatos lares, sed etiam libris editis testentur & conquerantur, eum oscitare aliasq; res agere, & abdicata omni Reipubl. cura nullius conscientiæ & fidei Ministris se ipsum credere & rerum summam permittere, ac fere quotidie literis & mandatis impia, iniqua, ipsiusque menti & voluntati è diametro opposita continentibus nomen suum manu sua subscribere? Hem tibi, Christianissime Imperator, gratiam, quam tui tibi Jesuitæ reponunt! hem, qui monitis & exemplis subjectos tuos *te honorificare tibique debita, timorem, honorem & tributum reddere* doceant! Nec tamen nihil est, quod eis pro tanto tui contemptu debere te arbitror. Faciunt enim te Dei similem, ut non minus quam ille de te profiteri possis: *Ego Vermis sum, & non homo: oppobrium hominum & abjectio plebis, quoniam circumdederunt me canes multi (canes impudentissimi, qui nescierunt saturitatem* Isai. 56.) *concilium* seu Societas *malignantium obsedit me. Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum in circuitu, in eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt. Cogitaverunt supplantare gressus meos: funes extenderunt in laqueum, juxta iter scandalum posuerunt mihi. Acuerunt linguam suam sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum. Molliti sunt sermones eorum super oleũ, & ipsi sunt jacula* (Ps. 21. 30. 54. & 139.) *Audite cæli, & auribus percipe terra, Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! blasphemaverunt sanctũ*

Cæsar verbis Dei de cõtumelia Jesuitarũ conquerẽdi causã habet. Jesuitæ animæ Cæsaris insidiantur.

Israël,

Israël, abalienati sunt retrorsum. Recte autem Imperator longius hoc carmen contexuerit, nec minus sua fecerit, quę mox Deus dictis subtexit: *consolabor de hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Hoc enim si faciat, hic ei operis fructus promittitur: *Cum feceris judicia tua in terra, Justitiam discent habitatores terræ. Cunctus enim populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Isai. 1. & 26. Deuter. 17.

Cæsaris est injuriam istam ulcisci. Saltem ut aliis sit timori.

Deinde autem injuriæ erga Cæsarem indignitatem auget Irrisio, cum edito Justæ defensionis libro in ista ejus fronte præ se ferunt, se existimationem illius ac dignitatem tueri, cū tamen toto libro nihil æque habeant propositum atque omni eum existimatione spoliare, & odiosum multis (ut jam demonstravi) cunctis verò contemtum efficere, haud secus atque impii illi milites, *qui Jesum induerunt purpura, & spinea corona capiti ejus imposita flexis ante eum genibus salutarunt eum, Ave rex Judæorum, caput ejus arundine percutientes eumq́; conspuentes:* ut non minus Imperatori conveniat, quam Corinthiis, quod eis Clericos *à Deo vocatos in Societatem filij ejus Jesu* facere Paulus sic commemorat: *Libenter suffertis, si quis vos in servitutem redigit, si quis accipit, si quis devorat, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.*

Jesuitæ Cæsarem palam illudunt.

Sicut impii milites Christum.

Caput XXXII.

Alterum Imperii fulcrum esse dixi supremam Cæsaris in Imperio jurisdictionem, per quam iis, qui adversus sanctionem de Religionis pace injuriam sibi factam, seque domiciliis aut fundis eversos ac spoliatos queruntur, judicium reddit & cuique tribuendum curat. Hanc superioribus demū annis nonnulli Protestantium controversiam facere cœperunt, ut Monasteria & alia Ecclesiastica bona sive occupare, sive olim occupata retinere possent. Atque istud caput & origo fuit hujus plusquam Trojani incendii, quo universa pene Germania conflagravit atque etiamnum fumat: quoniam quos sacra bonorum illorum fames invaserat, Cæsarem con-

Jesuitarū molitiones adversus summam Cæsaris jurisdictionem.

Quam nō minq quā quidam Protestātium oppugnāt.

Qui eo pacto præsens Germaniæ excitarunt incendium.

troversiarum de id genus causis Iudicem esse pernegabant, ac velut rem, quæ ad Religionem pertineret, non nisi sententia Arbitrorum ex utraque litigantium parte pari numero lectorum amice componi oportere contendebant. Quod postulatum manifeste iniqvum esse & exitium Imperio minari, ipsi Saxo & Brandenburgicus Electores ac pleriq; alii Evangelicorum Ordinum, sed & Spirensis Dicasterii Assessores, etiam qui Catholici non essent, ingenuè fatebantur, ac solum Imperatorem ejusque loco & auctoritate Aulici & Spirensis tribunalis Consiliarios in ejusmodi causis judices sedere ac jura litigantibus reddere posse agnoscebant. Nec verò alia Catholicis Germaniæ Principibus & Ordinibus Anno 1610. Fœderis ineundi causa fuit, nisi ut istam Cæsaream juris dicendi potestatem armis tuerentur, quoniam nisi ea salva aliter maturum rei Catholicæ in Germania interitum ac funus imminere intelligebant. Et Imperator Edicto illo suo, quo Protestantes, quicquid Ecclesiasticorum bonorum post conditam Religionis pacem involassent, missum fieri & Catholicis restitui jussit, aliud non egit, quam quod declaravit, se legitimum istiusmodi causarum Judicem esse, cujus sententia & sanctionis illius de pace interpretatione omnes stare oporteat. Nec verò Protestantes quod contra afferrent, curque jus Cæsaris circũscriptum & impeditum irent, quicquam invenerunt, donec tandem exorta est Jesuitarum importunitas & audacia: qui quod de sacrilega Monasteriorum aviditate nihil prorsus ulli Protestantium concederent, juris autem ad ea Societati suæ lucrifacienda multo minus, quam illi, haberent (quippe qui sacrorum Canonum sanctionibus teneri se fateantur, Monasteriorum ad alios usus conversionem gravissimè vetantibus, cum Protestantes nihil Canones morentur, nec iis sese obligari putent, tum etiam eorum filios & hæredes prædicent, qui Monasteria condiderunt, posterisque suis ad inopiam redactis præsidium ibi esse, & hospitium atque alimenta præberi voluerunt) apertius & contentiosius, quam ullus Protestantium, Cæsaris Jus, potestatem & officium oppugnare, & Pontifici

Velut Saxo & Brãdenburgicq jam abhinc 40. annis timuerint.

Cæsar Edicto suo professus est se in causis Monasteriorũ esse legitimũ Judicem.

Jesuitæ minus juris habẽt ad Monasteria, quã Protestantes. Et tñ. Cæsari negãt jurisdictionem competere in Monasteriorũ causis.

tifici judicium de litibus in imperio exortis vindicare animũ induxerunt, non quod cordi haberent Cæsarem à suscipiendo piaculo seu mortali peccato prohibere, & jus suum Pontifici salvum conservare, sed tantum ut Pontificis gratia eo officio conciliata alienarum hæreditatum facilius potirentur. Quotiescunque enim satis obsequentem videntur habere Cæsarem, ultro ei auctores esse non dubitant, falcem suam in Pontificis messem mittendi, & judicium de causis Ecclesiasticis sibi arrogandi, suaque auctoritate Ecclesias & opes earum quibus libeat auferendi & ipsis condonandi: quod etiam jure eum facere posse, atque adeo debere argumentis vincere conantur, exploso Lateranensis Concilii Canone: *Si quis Principum donationem rerum Ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus judicetur.*

Eamq; adscribũt Papæ. Cuj9 gratiam in eo aucupantur. Aliàs Cæsarem docent falcem suam mittere in messem Põtificis. Eiq; sacrilegium apertè suadere.

CAPUT XXXIII.

Ejus porrò doctrinæ sacrilegiorum magistræ specimen illustrissimum meis ipse vidi oculis in autographo literarũ, quas Moguntini Jesuitæ totius provinciæ nomine & Provincialis Rectorisque sui auctoritate postrid. Cal Octob. a. 1629. & a. d. 15. Jan. 1630. ad primarium quendam Cæsaris Consiliariorum dederunt. In iis literis Consiliarii illius *Consilium & auxilium maxime se flagitare, unicè optare & verò sperare* ajunt, ut Cæsar inscio & inconsulto Pontifice Monasterium Claræ-vallis in suburbano Moguntiæ agro ipsis donet, idque *de subito* & clandestino, ne quid ejus pontifici aut aliis Romanorum suboleat, sicque *aliquid objiciatur impedimenti. Romæ enim* (inquiunt) *paucos numeramus amicos, qui benevolè nos audiant, Cæsaris DONATICIAS, Commissoriales & Exsecutoriales literas tacite præstolabimur.* Nec tamen satis habent ex dono Cæsaris uno illo Monasterio potiri, sed summa ope connituntur, ut multo plurima eadem sacrilegæ donationis via in potestatem suam redigant, velut hæc ipsorum verba planum faciunt: *Hoc Claravallis Monasterium, si Moguntino Societatis nostra*

Ejus rei illustre exemplũ. Jesuitæ querũtur se Papæ & plerisq; Romanis uti minus benevoli. Plura Monasteria sæculari Cæsaris autoritate inscio pontifice conantur obtinere.

stræ Collegio adderetur, multas eidem utilitates afferret, MAXIME ob pascua & prata, quæ habet multa. Cum illo, quod NUNC petimus (cras scilicet alia petituri) *si conjunctum sit aliud Monasterium Oppenhemij situm, quod Mariæ Corona dicitur, Cæsarea beneficentia nobis DONATUM, eum speramus Collegij Moguntini statum efficiet, qualis est maximorum.* Nunc operæ pretium est cognoscere, quantæ astutiæ & calliditatis modum improbi isti Captatores & Hæredipetæ Cæsarem doceant, ut minore invidia, nullaque impedimenti aut remoræ occasione Monasterium S. Francisco sacrilegè eripi, & Ignatio Loyolæ ejusq; malis ovis donari possit: *Si Imperatoris* (inquiunt) *auctoritate & nomine Monasterium initio occuparetur & administraretur* (dissimulato, quod nobis dare illud cogitet) *non erunt, qui contra moveant. Si per extraordinarios Commissarios qui JUS examinent,* DICANT, *& DESUBITO EXSEQUANTUR* (i.e. non citatis, nec auditis Franciscanis, quorum res agitur, multo minus causa ad Forum Pontificis & Ecclesiæ remissa) *multæ quas malevoli suscitabunt remoræ cadent,* Id est, Franciscanæ familiæ Generalis Minister homo malevolus est, quoniam suo Ordini sua recuperare, quam nobis abligurienda mavult relinquere. Cavendum ergo erit, ne rescîscat, Cæsarem illud Monasterium nobis donare velle. Postquam verò Cæsaris Commissarii omnia Monasterii bona à Palatinatus incolis recuperarint, nosque in possessionem ejus immiserint, tum Franciscani postulationes & protestationes suas sero & nequicquam interponent: & nos erimus *Beati possidentes.* Sed quoniam nō vacant metu, ne Imperatorem scrupulus aliquis malè habeat & conscientia remordeat (quippe qui literis Romam datis testatus fuerit, *se in conscientia ferre non posse, ut in jure divino stabilitæ fundationes contra Fundatorum mentem & institutum alio convertantur & applicentur, & Monasteria sub prætextu majoris boni alii Ordini, quàm cui dicata sunt, concedantur*) propterea & ipsum & Consiliarios ejus omni talis religionis modo exsolvere satagunt, & plura sacrilegia quotidie nullo metu perpetrare hoc modo docent; *Probabo opinionem hanc*

Fraudulentia quam Jesuitæ Cæsari præmōstrant.

Quia Cæsar videdetur esse paulo religiosior.

hanc CERTAM, Imperatorem non modò posse optimo jure, prudenter, piè ac religiosè Monasteriorum quondam emortuorum reditus Societatis usibus assignare, verum etiam VT PLVRIMVM (id est, quod ad plurima Monasteria attinet) *in conscientia coram Deo ad id obligari: & Consiliarios ejus si Deo & Imperatori fideles sint, idem OMNIBVS modis* (sive justis, sive injustis, quia *Vnde habeas quærit nemo, sed oportet habere*) *suadere & curare debere, graviter verò peccaturos* (id est, perjuros perfidosq; fore) *si obstent aut dissuadeant.* Hæc ergo illorum est *Opinio*, sed *Certa, absq; ulla*, ut ajunt *oppositi formidine*, quia *perfecta caritas* & Monasteriorum sacra fames *foras mittit timorem.* Nunc audiamus Mathematicam illam demonstrationem, cujus vi quod lignum est lapidescit, & Opinio fit scientia: *Catholica* (inquiunt) *Religio magis crescere non potest, quam si PLVRIMI sint adscripti militiæ Jesu, qui pro ea pugnent eamq; disseminent: quales Collegia Societatis Jesu nutriunt, edocent, quaqua versum emittunt. Quare nec Imperator magis juverit Ecclesiæ salutem, quam si Societatis Collegia promoverit. Qui ergo hujus consilii auctor est, optimum agit Consiliarium, qui contra, is suadet, quod facit contra Ecclesiam, contra Imperatorem & contra multorum salutem.* Sed vereor, ne Mathematica ista demonstratio sit acutior & subtilior, quàm ut satis eam Cæsar & Consiliarii ejus percipere queant. Operæ ergo fuerit pretium vim disputationis nonnihil declarari, quod fiet si duplex argumentum distinctè ad formam redigatur dialecticam hoc modo:

Jesuitæ omnem ei scrupulū eripere conantur. Et contendunt eum corā Deo obligari ut sacrilegium cōmittat. Sacrilegas suas opiniones volunt haberi pro certis Mathematica eorum demonstratio. Adeò acuta & subtilis, ut eā Cæsar & Consiliarii non percipiāt.

Caput XXXIV.

De Officio Cæsaris.

Cæsar non modo jure potest, sed etiam in conscientia coram Deo obligatus est facere quicquid juvat Ecclesiæ salutem & religionis incrementum, peccat verò mortaliter, si id facere prætermittat.

Monasteria vacantia dare Jesuitis juvat Ecclesiæ salutem & religionis incrementum, quia sic Jesuitarum strenuorum Christi militum crescit numerus.

Syllogismus Jesuiticus.

Itaq;

Itaq; Cæsar non modo jure potest, sed etiam in conscientia coram Deo obligatus est Monasteria vacantia dare Jesuitis, peccat verò mortaliter, si id facere prætermittat.

Pari modo annis superioribus sub propositione sua assumserant :

Archiepiscopo Pragensi abrogare jus & potestatem in Academiam Pragensem, & dare Jesuitis, juvat Ecclesiæ salutem.

Omnes Scholas, ludimagistros, pædagogos, typographos & bibliopolas totius regni Bohemiæ subjicere Jesuitarum jurisdictioni, juvat Ecclesiæ salutem.

Jesuitas facere Censores librorum & Inquisitores hæreticæ pravitatis per totum Bohemiæ regnum, juvat Ecclesiæ salutem.

Itaq; in conscientia coram Deo obligatus est Jesuitas facere Dominos quasi totius regni Bohemiæ, peccat vero mortaliter, si id facere prætermittat.

Omnes Cæsaris ministri debent Jesuitis peccata confiteri. Cæsar in conscientia obligatur Lamermannum honorare instar Mardochæi.

QVid autem vetat, quin similiter & ista assumant ? Omnes Cæsaris Principumque Consiliarios, familiares & domesticos Jesuitis uti Confessariis juvat Ecclesiæ salutem. Et P. Lamermannum idem esse Cæsari, quod Regi Assuero fuit Pater Mardochæus, juvat Ecclesiæ salutem, ita ut dubitandum non sit, ex honore & gloria Lamermanni eundem Jesuitas fructum capturos, quem Mardochæi exaltatio Judæis attulit, de quo Esth. 8. & 9. ita legimus: *Mardochæus de Palatio & de conspectu Regis egrediens fulgebat vestibus regijs, coronam auream portãs in capite, & amictus serico pallio atque purpureo. Judæis ergò nova lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium: in tantum ut plures alterius gentis & sectæ eorum Religioni & cæremonijs jungerentur. Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat. Nam & provinciarum judices, Duces & procuratores & omnis dignitas, quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Judæos timore Mardochæi, quem Principem esse Palatij & plurimum posse cognoverant.* Quidni ergo Cæsar in conscientia obligatus sit, omnem Aulam suam ad peccatorum exomologesin

sin solis Jesuitis faciendam adigere, & Lamermannum facere Principem Palatii & vestibus Regiis fulgenti auctoritatem conciliare maximam? Sic enim grandis cunctos Jesuitici nominis terror invadet, multoque PLURES alterius gentis & secta Jesuitarum Religioni jungentur, tametsi (ut Paulus ait 1.Cor.10. *non in PLURIBUS beneplacitum est Deo*, οἱ γὰρ πλεῖστοι κακοὶ, *Plures enim mali.* Non dissimiliter Jesuitæ in Placida Disceptatione Opinionis suæ certitudinem de Cæsaris Officio & Præterofficio demonstrari sibi visi sunt hoc modo disputantes:

Sic enim plures fient Jesuitæ.

Cæsar in conscientia obligatus est nō alligare os bovi trituranti, i.e. non prohibere eum victu necessario.

Societas Jesu est Bos triturans, vitula elegans atque formosa, docta diligere trituram (Jerem.46. Ose.10.) *sive ad verbi & Sacramentorum administrationem idonea.*

Alius Jesuitarū syllogismus verè Cornutus.

Ergo Cæsar in conscientia obligatus est non alligare ei os trituranti, nec victu necessario eam prohibere, sed dare ei prata & pascua Vaccarum vetularum & claudarum, quarum subtritæ usque ad talos sunt ungulæ, id est Religionū veterum ad nihil jam utilium, ita ut de Cæsare gloriari Societas possit: In loco pascuæ ibi me collocavit, Ps.22.

At enim hoc potius est demonstrare Societatis Vitium, quam Cæsaris Officium, cum multo amplius contineat complexio, quam quantum ex concessis effici debuit. Non autem plus inde cogitur, quam Cæsarem non debere victu necessario Societatem privare. Id quod perspicuè Paulus docet 1. Tim. 5. *Qui laborant in verbo & doctrina Presbyteri duplici honore digni habeantur. Dicit enim Scriptura: Non allegabis os bovi trituranti. Et Dignus est operarius cibo suo*, qui cibus est *Merces* illa, quæ illi sola ab hominibus debetur, qua nihil amplius nec ipsis Apostolis postulare Christus permisit; qua de re Paulo credere nos par est, sic de se cæterisque Apostolis prædicanti: *Habemus potestatem manducandi & bibendi* (quæ apponunt nobis illi, quibus Evangelizamus) *sicut & cæteri Apostoli. Dominus enim ordinavit iis, qui Evangelium annunciant,*

In Ecclesiæ ministerio occupatis

debentur ad vitam necessaria sed supervacua non item.

de Evangelio vivere. Non tamen usus sum hac potestate, ne quod offendiculum dem Evangelio: sed sine sumtu auditorum pono Evangelium, atque etiam cum egeo (rebus victui & amictui necessariis) *nulli onerosus sum, sed in omnibus sine onere me* auditoribus *servo & gratis Evangelizo, ut plures lucrifaciam.* 1. Cor. 9. & 2. Cor. 11. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* 2. Tim. 2. & 1. Tim. 6. Tantum ergo est, quod Societati in area Dei homines velut grana ab errorum aut peccatorum glumis verbi & sacramentorum ministerio tanquam Vngulis exterenti vel separanti à Cæsare & Principibus debetur; quo si docta illa Vitula non sit contenta, sed alienis spoliis ditari & supervacua accipere postulet, merito Cæsar veretur, ne in diaboli laqueos inciderit, ab eoque ad ipsius voluntatem captiva teneatur, neve Aquilonari stimulo agitata, sive supervacuis septentrionalium Monasteriorum opibus saginata lasciviat & calcitret, sicut Jerem. 46. scriptum est: *Vitula elegans atque formosa Ægyptus: stimulator ab Aquilone veniet* ei (*Ab Aquilone* autem *venit aurum* Job. 37.) *Mercenarij ejus* (*Sacerdotes in mercede docentes & prophetæ in pecunia divinantes*, Mich. 3.) *quasi Vituli saginati versi sunt.* Talibus porro Vitulis quam minime tutum sit Ecclesiæ causam credere, 2. Reg. 6. & 1. Paral. 13. *Arca Dei* figura docemur; quæ cum plaustro imposita veheretur, nihil propius factum fuit, quam ut humi effunderetur, *quia Boves lascivientes & calcitrantes inclinaverant eam*, ut omnino casura fuerit *nisi Oza manum extendens eam sustentasset.*

Societas est Vitula aquilonari stimulo agitata.

Cui lascivienti Ecclesiæ causa parum tuto creditur.

Cæsar Ecclesiæ salutem & religionis incrementũ juvare debet modis justis & honestis.

In superioris autem Syllogismi propositione est quiddam ambigue dictum, quod distinctionis indiget. Ecclesiæ quippe salus & religionis incrementum dupliciter juvari potest, modis nempe vel justis, honestis & prudentiæ spiritus consentaneis, vel iniquis, turpibus et carnis aut sæculi prudentia dignis. Cæsaris officium est Ecclesiam juvare illius, non hujus generis rationibus ac modis. Atqui Monasteria adversis sacro-

ſacrorum Canonum ſanctionibus & eorum, qui ea condiderunt voluntatibus, veteribus Ordinibus erepta Jeſuitis tranſcribere, hoc eſt Eccleſiam juvare velle modo iniquo, turpi & prudentia ſpiritus alieno. Grande ergo nefas Cæſar contraheret ac ſacrilegio piacularis fieret, ſi mendoſa iſta Jeſuitarum demonſtratione propoſiti ~~ſui~~ conſtantiam convelli ac labefactari pateretur, ab eoque demutaret, quod toties publicis privatisque tabulis profeſſus fuit, ſe nimirum nec debere, nec poſſe, nec velle committere, ut defunctorum voluntates reſcindantur irritæque fiant, & invito jure divino Monaſteriorum bona alteri Ordini, quam cui dicata ſunt, ſub majoris boni prætextu concedantur.

Sed Monaſteria dare Jeſuitis eſt injuſtum & turpe.

CAPUT XXXVI.

De Officio Conſiliariorum Cæſaris.

Quicunque Conſiliarius Cæſari diſſuadet, ne juvet Eccleſiæ ſalutem, is facit contra Eccleſiam, contra Cæſarem & contra multorum ſalutem.

Quicunque obſtat, ne Monaſteria vacantia dentur Jeſuitis, is Cæſari diſſuadet, ne juvet Eccleſiæ ſalutem.

Ergo quicunque Conſiliarius obſtat, ne Monaſteria vacantia dentur Jeſuitis, is facit contra Eccleſiam, contra Cæſarem & contra multorum ſalutem, & conſequenter eſt Deo & Cæſari infidelis, ac propterea ipſe & poſteri ejus ſentient Deum ultorem malefactorum, & cum æternæ ſalutis diſpendio experietur ſe Societatem, pupillam oculi Domini læſiſſe.

Alius Jeſuitarum Syllogiſmus.

At enim hominum mendaciſſimi & mendiciſſimi mendoſe vos colligere nemo eſt Conſiliariorum Cæſaris quin ſua ſponte intelligat. Qui obſtat, ne contra divinas & humanas leges Ordinibus Monaſteria ſua eripiantur, ſed ſuadet ſua Monachis reſtitui, eosque ad inſtaurandam Religioſam diſciplinam compelli, is Cæſari conſulit, ut maxime juvet Eccleſiæ ſalutem & religionis incrementum. Monachi enim ex D.

Eccleſiæ intereſt veteribus Ordinibus ſua reſtitui Monaſteria. Ipſosq; ordines reformari.

Sic erunt Boves in area Dei triturantes quatuor ungulis æreis.

Cum Societas duabus tantum ungulis trituret.

Quarum unã, nempe Prædicationem verbi habeant Corneam.

Benedicti formula viventes sunt Boves quatuor Vngulis triturantes, & quidem Vngulis æreis, quales ad Trituram Areæ Dei necessarias esse Mich. 4. sic docemur: *Deus congregavit gentes multas, quasi manipulos areæ. Surge & tritura filia Sion, quia ungulas tuas ponam æreas, & comminues* sive ungulis teres *populos multos & interficies Domino rapinas eorum.* Id est, gentiles & hæreticos, qui diaboli laqueis captivi tenentur, liberabis, eosque gladio spiritus *occides & manducabis*, ac velut victimas Deo immolabis. Harum vero ungularum duas habent cum Jesuitis communes, duas verò proprias. Communes sunt verbi prædicatio & Sacramentorum administratio. Illam tamen Jesuitæ habeant Corneam, sed Monachi Æream: quia Jesuitæ ex præscripto viventes non prædicant nisi ex actibus vitæ Contemplativæ, cum omnis eorum lectio, meditatio & oratio ad Actionem velut Finem præcipuum referatur, *ut Dicant*: sed Monachi prædicant ex habitu, plenitudine & abundantia Contemplationis, vitam totam præcipue Contemplationi dicantes, *ut* à Deo *Discant*: sicut Jeremias suâ Contemplatione & clamore, sive oratione, discere à Deo meruit sermonem grandem & triturandis populis idoneum. Jer. 33. *Hæc dicit Dominus, clama ad me, & exaudiam te, & annunciabo tibi grandia & firma, quæ nescis*, id est, novas *adinventiones meas, quas præparavi his, qui* plus *me diligũt* (majorem ex assidua pulchritudinis meæ contemplatione amorem concipientes) *quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt* 1. Reg. 2. & 1. Cor. 2. Ac tales sunt *Scribæ docti ad regnum cælorum* (sive ad Ecclesiæ ædificationem) *qui de* sacræ Scripturæ *thesauro proferunt nova & vetera*, Matth. 13. Jesuitæ vetera tantum vaticinantur, ab aliis audita, aut in SS. Patrum & Monachorum libris inventa. *Multi enim cibi sunt in novalibus Patrum, & aliis congregantur absque judicio*, quia maximos labores capiunt potius ut alii vetera dicant, quàm ut nova ipsi à Deo discant, Proverb. 13. Itaque *cum jam deberent Magistri esse propter tempus, adhuc imbecilles sunt ad audiendum sermones grandes & firmos*, quos Deus Contemplatoribus annunciat,

Contemplativi proferũt vetera & nova.

Jesuitæ non nisi vetera vaticinantur.

Ac propterea semper manent pueri.

& sunt

& sunt sicut parvuli expertes sermonis justitiæ, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Hebr. 5. Tales minimè perfectos Doctores esse, & Corneam tantum, non Æream Vngulam ad terendos areæ manipulos afferre, S. Gregorius Magnus ita disertim affirmat: *Quicquid subditis Doctor proponit ad normam rectitudinis, aut de Exemplis electorum accipit, aut de doctrina sacri eloquij, aut ex Revelatione interna Contemplationis. Si solum Exempla bonorum noverit, aut si sacræ Scripturæ etiam quis eruditus sit, & Contemplationis revelatione caruerit, in ordine Prædicationis vir PERFECTVS NON erit. Dei namque debet esse docibilis, qui suscepto prædicationis officio docere homines cupit.* Monachos verò tanquam perfectos Prædicatores & per revelationem Contemplationis à Deo doctos trituram in area Dei non minus calamo, quàm sermone exercere, Prophetarum Exemplo docemur, Isai. 21. *Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem: & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus* (id est, voluntas mea est in lege Domini, & in ea meditor die ac nocte, velut speculator pro Ecclesia agitans excubias) *Tritura mea, & filij areæ meæ, quæ audivi à Domino, annunciavi vobis*, id est, mihi contemplanti à Deo revelata vos doceo, scribens in libro, in quo clamabo usque ad consummationem sæculi. Ita quippe facere jussus sum, Isai. 30. *Scribe super buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit* (scriptura tua) *in die novissimo in testimonium usque in æternum.* Habac. 2. *Super custodiam meam stabo & figam gradum super munitionem, & CONTEMPLABOR ut videam, quid dicatur mihi. Et respondit mihi Dominus, & dixit, scribe visum* (seu sermonem tibi revelatum) *& explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Sic satis probatum arbitror, duas Vngulas, quibus solis Societas Jesu manipulos terit, non minus Monachis adesse, sed alteram earum, nempe Verbi prædicationem Jesuitis esse Corneam sive imperfectam, Monachis verò Æream seu perfectam, tanquam ex Contemplationis abundantia manantem, cum eorum *caritas magis abundet in omni sapientia & in omni sensu atque intellectu spirituali*, Philip. 1. Col. 1.

Et imperfecti Prædicatores.

Monachi trituram etiam calamo exercent.

Annunciando aliis quæ Deus ipsis revelat.

Caput XXXVII.

Duæ Monachorũ Vngulæ quib9 caret Societas, sunt Magna virtus & magna gratia.

DEinde habent Monachi Regulæ convenienter viventes duas Vngulas, quibus Jesuitæ carent, etiam qui optima fide Regulam suam custodiunt, quæ *sunt Magna virtus, & Magna gratia apud Deum & homines.* Magna virtus est *omnis patientia, signum Apostolatus*, 2. Corinth 6. Magna gratia est, quam eis conciliat beneficentia, communio & hospitalitas, sive opum ipsis non necessariarum hilaris & fidelis in advenas & egentes distributio. De omnium quatuor Vitulæ triturantis Vngularum vi & efficacitate in filiis areæ Dei terendis, ipsius Dei hoc est judicium. 2. Tim. 2. *Servum Dei oportet esse docibilem & patientem* (sive Vngula doctrinæ & patientiæ triturare) *si forte Deus illis qui resistunt, det pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, 2. Timoth. 4. *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed à veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu ergo homo Dei prædica verbum, opus fac Evangelistæ in omni patientia & doctrina* 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo tanquam dispensatores sacramentorum Dei* Act. 4. *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Christo, & Gratia magna erat in omnibus illis, nec enim quisquam egens erat inter illos, quoniam de agrorum & donorum pretiis ante pedes eorum depositis dividebatur singulis prout cuique opus erat* Tim. 3. *Episcopum oportet esse doctorem & hospitalem* Heb. 13. *Beneficentiæ, communionis & hospitalitatis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus* sive acquiritur gratia magna apud Deum 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Eccl 7. *Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio & benedictio tua* (sive gratia apud Deum & homines) *Gratia enim dati est in conspectu omnis viventis*, i. e. datum vel beneficentia omnium gratiam danti conciliat, Prov. 22. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. De panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam & honorem acquirit, qui dat munera: animam autem aufert accipientium*, id est misericordiæ & beneficentiæ operibus vincet Diabolum *fortem armatum*, ejusque atrio expugnato

Vngula doctrinæ & patientiæ.

Vngula Sacramentorũ.

Vngulæ magnæ virtutis & magnæ gratiæ.

Vngula gratiæ.

spolia

spolia dividet, animasque captas à robusto soluabit, Isai. 49. Jam de Magna Gratia satis omnibus notum est, eam Jesuitis nequaquam adesse, cum sua eos Regula nulla hospitalitatis & beneficentiæ lege obliget, ipsique *manus porrectas ad accipiendum, ad dandum* vero *collectas habeant*, Eccl. 4.

Jesuitis palã de esse ungulam magnæ Gratiæ.

Sed nec Magnam in eis Virtutem inveniri ac propterea vix ullum imitationis vitæ Christi & Apostolorum in vita eorum vestigium apparere, etiam cum Patris sui Ignatii nomothesiæ convenienter vivunt, vel ex istis cuivis judicare proclive fuerit.

Carent etiam ungulâ magnæ virtutis.

Matt. 11. *A diebus Johan. Baptistæ usque nunc regnum cælorum* (sive Ecclesiæ ministerium) *vim patitur, & violenti rapiunt illud*, operæque faciunt pretium in hominibus triturandis. Johannis autem erga se ipsum Violentia in eo spectata fuit, quod *Venit non bibens vinum, nec manducans panem, nec vestitus mollibus*, & cum perspicuo quamvis vitæ periculo Pharisæos & Scribas, ipsumque regem Herodem de peccatis suis liberrima voce castigans. Sic Johannes in area Dei triturare cœpit, quam trituræ rationem Christus *usque nunc*, id est, perpetuo in Ecclesia observari oportere satis aperte docuit;

Quæ à diebus Johannis Baptistæ semper in Ecclesia requiritur.

quam verò nec Christus ipse, nec ejus imitatores Apostoli Violentiam in rapiendo regno cœlorum missam fecerint, quamque ea omnes Ecclesiæ ministros uti voluerint, ex his Pauli verbis apparet, 1. Cor. 4. *Nos Apostoli usque in hanc horam* (à diebus Johannis usque nunc) *& esurimus, & sitimus, & nudi atque instabiles sumus, purgamenta hujus mundi facti sumus. Vos autem* (Clerici *à Deo vocati in Societatem filij ejus Jesu*) *jam saturati estis, jam divites facti estis & sine nobis* (i. e. sine ulla nostri imitatione) *regnatis. Rogo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, Et 2. Cor. 4. 6. & 11. *In omnibus exhibemus nos sicut Dei ministros*, non modo *in verbo Veritatis* (ut illud liberè loquamur, hominibus placere nihil soliciti, nec offensæ metu *utilium quicquam eis subtrahentes*, Act. 20. *Si enim quæreremus hominibus placere, Christi servi non essemus*, Gal. 1.) Sed etiam *in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in labore & ærumna, in vigiliis & jejuniis multis, in fame & siti, in frigore*

Eâ ergo Christus & Apostoli in triturando usi sũt. Et omnes Ecclesiæ ministros eâ uti voluerunt.

gore & nuditate, semper mortificationem Jesu in carne nostra circumferentes, sicut egentes (votumque paupertatis exsolventes) *multos autem locupletantes,* nec beneficentiæ & communionis obliti, ac de his quæ *manibus laborantes* lucramur, quæque *fratres de abundantia sua nostram inopiam supplentes in usum nobis mittunt,* aliis etiam liberaliter *ad ea quæ ipsis opus sunt ministrantes.* 2. Cor. 8. Phil. 4. Act. 20. Ista igitur fuit Christi & Apostolorum vita ac Tritura à qua Jesuitarum vitam procul abhorrere ac mutare, nec ad ejus similitudinem ita prope, ac Monachorum vitam, accedere, cum omnes clare vident, tum ipsi Iesuitæ (ut supra monui) anno 1564. in responso Academiæ Parisiensi dato ingenuè fassi sunt. Ita quippe de se profitebantur: *Nolumus ut quisquam intelligat, nos esse ad eum modum Religiosos, quo Monachos, quibus ob quandam excellentiorem vitæ rationem nomen Religionis tribuitur: nec enim nos dignos esse arbitramur, qui tam sanctum & PERFECTUM vitæ genus profiteamur.*

Jesuitæ Parisiis publicè scripto professi sunt, suũ institutũ longe esse infra perfectionem Monachorum.

Caput XXXVIII.

PAlam igitur infideles essent Cæsaris Consiliarii, si eos, qui excellentiorem vitæ rationem tenent, bonis suis spoliari, eaque ad alios, qui digni non sunt, nec tam sanctum & perfectum vitæ genus profitentur, transferri suaderent: cum præsertim quod utrorumque in triturandis populis iuvandaque Ecclesiæ salute & Religionis incremento sit laboris pretium & utilitas, res ante oculos posita clare vociferetur S. Bonifacius exiguo tempore Germaniam, S. Ansgarius Daniam, Sueciam, Norvegiam & Gothiam, alii ejusdem Ordinis Benedictini alia regna ac populos, universus deniq; Ordo triginta tria regna triturarunt, & ab hæresi aut Paganismo ad Christi Evangelium adduxerunt, quatuor illis, quas dixi, Vngulis armati. Ostendant Iesuitæ; si possunt, solas triginta tres domos in omni Germania, quas suis ungulis, ac non potius *Principis edictis, minis & pœnis* triverint, & ab hæresi ad Ecclesiæ communionem revocaverint. Quæ igitur insania, quis furor esset, Monachos

Solus Benedictinꝰ Ordo triginta tria regna trituravit & Christo subjecit.

Jesuitæ in Germania nec triginta tres do-

nachos pascuis & pratis suis pellere, & in ea Hircos istos, non nisi Cornibus, id est, partim *inani sermone*, partim Principum *austeritate ac potentia* instructos immittere? quos præsertim palam sit ab eo ipso, quo se venditant, vitæ instituto tam longe recessisse, ut in neminem æquè illa Dei querela conveniat Jerem. 23. *Factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis*, quippe qui Pontifici præter omnes alios Religiosos fidem se & obedientiam peculiari voto polliceri glorientur, simul autem suæ utilitatis causa Cæsarem Pontificis jus invadere, jurisdictionem Ecclesiasticam sibi arrogare, & inscio atq; invito Pontifice Monasteria nefariè & sacrilegè Ordinibus antiquis erepta sinistro liberalitatis genere aliis largiri doceant: qui si non æque docilem se illis præbeat, nec minoris injustitiæ reum se fore statuat Jesuitas ad Monasteria admittendo, quam Protestantibus ea permittendo, stylum illi repente vertunt ac partes mutant, jamque nec suum Imperatori jus salvum esse postulant, sed omnem de controversiis inter Imperii membra Monasteriorum causa exortis judicandi facultatem Pontifici transcribunt: quoniam videlicet satis exploratum habent, si Cæsar Pontificem Romanæ Curiæ ingenio uti, deque Monasteriis arbitratu suo statuere permittat, ut nulla divini humanique juris religione alia Cardinalibus *in Commendam concedat*, alia *Episcoporum* prodigorum maleque rem gerentium *mensis applicet*, alia *pensiones annuas* Aulæ Pontificiæ vernalis præstare jubeat, futurum ut eorum *quamplurima sub majoris boni prætextu Societati ad Gymnasia & Collegia in quibusvis Germaniæ partibus instituenda, fundanda ac dotanda concedat*. Sic enim faciendi *gravem in conscientia obligationem* esse prædicant, nec Pontificem sine turpissima ingrati animi nota aliter facere posse persuasum habent, cum ipsi soli eo se Imperatorem impulisse glorientur, ut Protestantibus Ecclesiasticorum bonorum restitutionem Edicto imperaret. Ipsius quidem certe Confessarius P. Lamermannus literis ad Abbatem Cæsariensem a. d. 17. Sept. Anno 1630. datis (quæ Astri pag. 223. recitantur) Edicti Cæsarei publicationem sua unius opera

mos. Cũ magis Hirci sint, quã Boves triturantes. Et à primo cursu suo multũ degeneraverint. Cæsarẽq; adversus Pontificẽ stimulẽt. Rursũq; utilitatis suæ causa jus Cæsari ereptũ ad Pontificem trãsferant. Quoniam à Curia Romana se in prædæ Societatem receptum iri sperãt. Cum ipsi soli Cæsarẽ ad Edictum publicandum perpulerint. Velut Lamermanus gloriatur.

opera confectam esse hoc modo prædicat: *Plus omnibus laboravi. Novit Imperator conatus meos, solicitudines & crebras solicitationes. Novit ME VNVM movisse* (seu primum motorem atque auctorem fuisse) *tamdiu ursisse, quoad evincerem de recuperatione omnium bonorum Ecclesiasticorum post transactionem Passaviensem ab hæreticis occupatorum.* Nec tamen hoc eum gloriosius, quàm veriùs, jactare arbitror, cum Carolum Auriam Ducem Tursium, qui eodem anno Catholici Regis Oratorem apud Cæsarem agebat, dolenter de illo questum sciam, quod cum Ratisponæ unà cum Electore Bavaro etiam atque etiam considerare eum monuisset, quam periculosæ plenum opus aleæ futurum esset, si Cæsar in Edicti sui exsecutione animo pertendens Electores Saxonem & Brandeburgicum à se alienaret, atque ad virium consociationem cum cæteris Protestantibus & Sueciæ Rege faciendam adigeret: ille oculis pervicaciæ testandæ apertis sibi responderit: *Stabit, stabit Edictum Cæsaris: nec refert, si illius causa non modo Austriæ, sed omninò omnium regnorum ac provinciarum suarum jacturam facere necesse habeat, modo animam suam possit salvam facere, quod frustra sperat, nisi Edicto exsecutionem præstet.* Sicut autem hanc ei laudem tribuere omnes oportet, eum plus omnibus laborasse, vel potius unum solum Cæsari cum Edictum illud extudisse, tum voluntatis in eo exsequendo constantiam persuasisse,: ita non minus certa res est, eum *fictis verbis* tam de anima Cæsaris, quam de omnibus ejus fortunis *negotiatum esse*, nec tam animæ illius salutem, quam magnum Societatis suæ quæstum & potentiæ incrementum habuisse propositum. Hoc ego novem argumentis validissimis ac tantum non vim mathematicæ demonstrationis habentibus docere possim. Sed Cæsaris & Consiliariorum ac Ministrorum ejus honori consulens iis nunc exponendis supersedeo, cum præsertim quæ jam Astro publicato satis constant, ac vulgo quoque nota sunt, neminem dubitare patiantur, quin nullo genere major Lamermanno de Ferdinandi sui, quàm de Amurathis Turcici Imperatoris anima cura sit, nec vel ipsæ, vel parti-

Idq́; verū esse testatur Dux à Tursi, Qui Lamermāno ingens Cæsaris periculū considerādum proposuerat. Sed ille clausis oculis monitum ejus repulit.

Et in avaritia de anima deq; omnibus fortunis Cæsaris negotiatus fuit.

participes ejus, de Vitelliana hæresi Jesuitæ, religioni habeant propter societatis suæ emolumentum apertissimè nullaque circuitione de Cæsaris jure ac potestate detrahere. Nam ecce tibi cum Imperator in Edicto suo se controversiarum de Monasteriis, quæ Protestantes invaserant, legitimum esse Judicem profiteatur, ac velut Judex ferat sententiam, & antiquis Monachorum Ordinibus tanquam lege agentibus ac jus suum persequentibus Monasteria restitui præcipiat, Spirensis quoque Dicasterii Assessores jura litigantibus reddere jubeat: Jesuitæ in Justa defensione summa vi pugnant, falsissimum esse, quod aut Imperator, vel ejus loco Spirense Tribunal de id genus causis judicium, aut Ordinis antiqui juris quicquam habeant ad ea vindicanda, propterea quod & *Monasteria illa omnia sint exstincta ac de jure nemini debita, adeoque ad jus & arbitrium Pontificis devoluta & Cæsar ejusmodi causas ad forum suum trahens, jura & auctoritatem sedis Apostolicæ imminuat, Ecclesiasticam immunitatem lædat, id deniq; faciat, quod à jure prorsus sit alienum, & graviorem sedis Apostolicæ censuram mereatur. Pontifices per patientiam tolerasse*, ut Cæsar & Spirenses Ordinibus Monasteria restituerent: *si tamen res deducta fuerit in judicium, exigente justitia non debere tolerari*, ut Cæsar Judicis munere fungatur: cui porrò consequens est, Edictum Cæsaris ipso jure nullum esse, nec viri um quicquam habere oportere. Protestantes proinde Jesuitis Magistris discunt Edicto illi tanquam vitioso & injusto repugnare, hasque exceptiones opponere. I. Cæsarem non esse legitimum istarum causarum judicem. II. Ordines Monachorum nullum agendi jus habere. *Monasteriorum* enim *professi, qui jus aliquod in illis habebant, omnes mortui sunt: & in eo NEMO hominum jam reperitur qui sibi jus & actionem vindicare possit*. Nam Jesuitæ, qui jus sibi vindicant, dum Papam & Cæsarem contendunt *in conscientia obligari, ut quam plurima societati Monasteria concedant*, Homines censeri non debent, sed ipsissimi Cacodæmones. III. Cæsarem & Spirenses Areopagitas *non secundum justitiam, sed secundum quandam æquitatem*

Cæsar se in causa Monasteriorũ profitetur Iudicem, & antiquos Ordines esse legitimos actores.

Id Jesuitæ contendunt esse mẽdaciũ. Solum n. Pontificẽ esse competentem judicem, & Ordines nullã actionem habere.

Et sententias Cameræ Spirensis secundum Monachos nihil habere justitiæ.

Jesuitæ Protestantes docent rebellare Cæsari.

tem processisse, dum eis Monasteria adjudicarunt, quibus de jure non debebantur, qua de re in Astro agitur pag. 191. & 198. Et adhuc cuiquam dubium esse potest, quin sacerrimi omnium bipedum sacra Monasteriorum fame impulsi totum imperium à fundamentis commovere tentaverint, & Protestantibus Cæsaris jus circumscribendi ac justissimis ejus Edictis & mandatis repugnandi auctoritatem dederint, arma denique rebellionem spirantibus ultrò commodaverint?

Et ipsa Imperii fundamẽta convellunt.

CAPUT XXXIX.

Decimũ hydræ caput sugillatio Papæ Urbani. Quod Apostolicæ sedis jura prodiderit.

DEcimum Hydræ caput est, hodierni Pontificis sugillatio, minime occulta officii neglecti exprobratio, quod immunitati Ecclesiasticæ vindicem se non præbuerit, & Imperatorem causas Ecclesiasticas ad forum suum trahere passus, hoc amplius autem declarationibus in Edicto Cæsareo positis Apostolicam benedictionem impertitus fuerit, atque etiam visis Cæsaris postulatis in epistola ad Sabellum Principem data, partim per eundem Sabellum, partim per Nuncium suum ei receperit, nihil adversus postulata illa Romæ tentatum, *nec ullam Monasterium vel in Commendam cuiquam datum, vel Episcoporum mensis incorporatum, vel pensionibus gravatum, vel in Scholas, aut Jesuitarum Collegia conversum iri.* Eo namque pacto cum ipse Cæsarem legitimum controversiarum de Ecclesiasticis bonis judicem esse agnovit, deque jure suo plurimum imminuit (si fas est credere) tum omnem Jesuitis, præcipueque Lamermanno fidem abrogavit, ei auctoritatem ejus diluit. Ille enim lamentabili libello Cæsarem de animæ suæ periculo ingentique scandalo admonuerat, quod impietate literarum suarum ad Sabellum & Episcopos missarum plurimis abjecisset, & Pontificii anathematis fulmen animi ad saniorem sententiam receptu antevertere hortatus fuerat. Lata proinde Pontificis culpa fuit, qui mandata illa Cæsaris, quæ Lamermannus temeritatis & sceleris condemnasset, ac Romanis usque eo in offensu esse monuisset, rata habere & Apostolica benedictione prosequi non dubitaverit. Iam quippe

Et Cæsaris mandata rata habuerit.

pe Lamermannus in judicio de Cæsaris actionibus faciendo turpiter allucinatus videatur necesse est, & in mendacio de Pontificis offensa. Sic à Cæsare deprehensus non habet, cur in posterum multum se fidei & auctoritatis apud Cæsarem inventurum speret: quæ ipsi causa fuit, cur in sermone apud amicum dolenter quereretur, si ex duodecim postulatis, quæ principio anni animo concepisset, totius anni decursu unum modò à Cæsare impetratum auferret, satis æquo se esse animo: Cæsarem enim Ministris suis omnium rerum fidem habere, eique ab illis persuaderi, Confessario velut sacrificulo minimè magnam politicarum & civiliũ rerũ esse inteligentiam. Multo autem veri est similius, non aliam ejus rei causam esse, quã quod Cæsarem minimè fugiat, Confessarium esse Aspendium intusque canere, & omnia ad suam & propinquiorum atque ad societatis suæ utilitatem revocare. Quam verò auctoritati Pontificæ nõ expediat, ab eo Confessarii Cæsarei fidem auctoritatemque dilui, id enim Jesuitæ censent vel Hispaniarum Regum exemplo discere debuisse: quos constat Ministrorum suorum, quibus regnorum ac provinciarum regimen mandatunt, actiones quantumvis nefarias ac tyrannicas non temere rescindere aut reprehendere, multo minus suppliciis vindicare, quod imperii publici rationem postulare judicent, ut salua illis sit, nec vilescat aut diluatur apud populos subjectos auctoritas. At enim Pontifex, opinor, non videtur causæ quicquam habere, cur Jesuitas suæ, quam Vitellianæ Monarchiæ, studiosiores censeat, eorumque mendaciis ac fraudibus, quibus Vitellii sui imperium stabilire & amplificare connituntur, pondus auctoritatemque addere, eaque causa justissimum Cæsaris decretum improbare irritumque facere velle debeat: quæ quidem res ita bilem eis movit, ut velut gravi accepta injuria Pontificem per Cæsaris latus Censoria notione configere perpetuâque nominis infamia injustum posteritati tradere nequaquam religioni habuerint. Postquam enim Romæ mandata Cæsaris probari rataque manere, nec adversus ea quicquam contra tentatum iri compere-

Nec Regũ Hispaniæ morem imitatus fuerit.

Sed Papa satis intelligit, Jesuitas Aspendios esse & intus sibi canere.

runt, nihilo eo causa minus in *Justa defensione* sua ea temeritatis & sceleris incusare ausi sunt: quod nihil est aliud, quam eorum approbatori Pontifici grandem auctoritatis Apostolicæ culpa sua imminutæ & juris Ecclesiastici turpiter proditi dicam impingere, qua de re videri potest Astri pag. 189, 193, & 201.

Caput. XL.

Vndecimum Hydræ Caput est, Suasio perfidiæ, perjurij & violandi divina & humana jura.

VNdecimum Hydræ Caput est suasoria perfidiæ ac perjurii, & tyrannicæ violationis juris gentium omniumque divinarum & humanarum legum: quorum scelerum Pontifici & Cæsari auctores & hortatores esse non dubitant, ut ad cernendas Divorum Benedicti, Bernardi, Augustini, Norberti aliorumque cœlitum hæreditates ipsi admittantur. Hoc satis scio plerisque maximè paradoxon, inopinatum & omnino incredibile ad aures perventurum. Et tamen in Astro inexstincto tam id luculente demonstratum invenitur, ut qui eum librum legere voluerint, animo præcipere queant, ipsa Veritatis evidentia se subactum iri, ut post homines natos agnoscant ac fateantur, nusquam terrarum inventos fuisse tam omninò nullius conscientiæ, fidei, honestatis ac pudoris Doctores, an Doctores; quorum si quis ingenium ac morem ex ipsis eorum scriptis perspexerit, fieri nullo modo potest, ut eos posthac vel conscientiæ arbitros ac moderatores, vel liberorum suorum magistros habere, & vel visos, vel auditos velit, nisi aut fascinatus planeque oculis ac mente captus sit, aut quæ tantorum scelerum Magistri docent, ea discere gaudeat, & opere exercere nihil dubitet: non quin plurimi in Ordine ipsorum sint viri boni omnisque culpæ expertes, sed quod eos nulla nota à cæteris eorum dissimilibus secernat, quorum hoc ipso commiseratione digna ac deploranda est conditio: id quod Lectores meos etiam atque etiam meminisse velim, ne me innoxios alienam culpam luere velle quisquam existimet. Priusquam verò specimina quædam in medium afferam, ex quibus quod de doctrina eorum perfidiæ ac perjuriorum magistra

Scelerationes Doctores nullo unquã tempore videntur fuisse, quã inter Jesuitas.

Salvo honore eorũ, qui in Societate boni manent.

gistra

gistra dixi, manifeste omnibus appareat, præmonendi sunt Lectores, Cæsarem in literis Romam missis, quid sui esset sensus & judicii de sua & Pontificis auctoritate, jure & officio, satis aperte tulisse. Cujus quidem judicii tres omnino partes sunt. I. Pontificem legibus non obligari, si aut necessitas, aut magna & evidens Ecclesiæ utilitas *plenitudini potestatis* locū faciat, & dispensationem imperet aut postulet. Hoc verbis illis ad Sabellum Cæsar significat: *Vobis committimus, ut sanctitatem suam de pia hac intentione nostra, quæ est, ut suum cuique tribuatur, plenè edoceatis: quæ omnia tamen ea dexteritate proponetis, ne periculo aut offensioni illic locum dare, aut in eo, quod à libero sanctitatis suæ arbitrio pendet, modum statuere, sed ea solum, quæ salutarem resolutionem nostram turbare possent, avertere & præcavere velle videamur.* II. Nullam esse necessitatem defunctorum ultimas voluntates mutandi, & Monasteriorum fundationes in jure divino stabilitas contra Fundatorum mentem aliò convertendi & sub prætextu majoris boni alteri Ordini, quàm cui dicata sunt, concedendi: cum veterum Ordinum instauratio sit salutare medium ad Hæreses perimendas & Religionem Catholicam recuperandam, cumque *illis velut fulcris Religio olim innixa fuerit.* III. Cum adeò nulla sit defunctorum voluntates mutandi, & Monasteriorum opes contra Fundatorum mentem ad alios usus conferendi necessitas, se salvo Ecclesiarum Advocati officio & jurejurando Imperii Ordinibus dato nec ipsum talia facere, *nec Pontifici*, ut quicquam adversus illas fundationes tentet, *permittere ac dissimulanter ferre posse.* Hoc Cæsaris judiciū Pontifex assensu suo comprobavit, eoque pacto sibi quoque nefas esse agnovit, Monasteria invitis divinis humanisq; legibus nulla subigente necessitate ad alios transferre, & contra transactionem sedis Apostolicæ cum Germanica natione Episcopis eripere jus, quod habent *Monasteriis providendi, Abbates electos confirmandi & benedicendi, & Annatas* sive unius anni reditus cum consecrantur ab eis acceptandi. Quod etiam jus Imperator *vi & obligatione cujusdam Capitulationis vindicare ac tue-*

Cæsaris judicium de sua & pontificis auctoritate, jure & officio.

Quod ejus judiciū ipse Pontifex cōprobat.

Seque obligatū agnoscit, ut maneat in fide

Germanicæ nationi data. *Jesuitæ Papã & Imperatorem hortantur fidem datam frãgere.*

ac tueri debere fertur, velut Astri pag. 216. videre est. Jam Jesuitæ intelligentes, si Cæsar & Pontifex in fide jurejurando firmata maneant, nihil prædæ fore prædatoribus, & bolos tam grandes atque opimos, quos jam spe devoratos habuerant, sibi è faucibus ereptum iri, se denique ludibrium omnibus futuros, quod Cæsarem ad Edicti illius promulgationem impellendo aliis leporem excitaverint, summa ope sibi connitendum & manibus pedibusque enixè omnia facienda censuerunt, ut eosdem à fidei & jurisjurandi religione abducerent. Primum enim universe contenderunt, istas Cæsaris sententias *esse erroneas, temerarias, scandalosas, cum fidei Catholicæ principiis non cohærentes, à jure & veritate prorsus alienas, & auctoritati ac juri sedis Apostolicæ detrahere, & Ecclesiasticam immunitatem lædere:* ac propterea Cæsarem eas improbare aliterque facere debere, quam sententiis istis præ se tulerit. Nisi enim id faciat, sed in errore pertendat, *graviore censura* plectendum fore. Hoc vero nihil est aliud dicere, quam Cæsarem excommunicationem mereri, si suum cuique tribuat, si Ecclesiarum Advocati fungatur officio, si stet pactis & jusjurandum servet, quo Imperii Ordinibus se obstrinxit. Atque hoc est quod Confessarius ejus in libello ipsi oblato, & postea cæteri Jesuitæ in *Justa defensione* sua summis ei viribus persuadere laborarunt.

CAPUT XLI.

Papam Jesuitæ docent nõ stare Concordatis Germaniæ. Propter causam Extraordinariã.

IN specie autem primum docuerunt, Pontificem in Monasteriorum causa pactis minimè obligari, neque Concordata cum Germanica natione inita servare oportere, cum causa ista sit Extraordinaria, id est, cum in ea magna Jesuitarum res agatur, quos homines valde Extraordinarios esse nemo negare potest, quippe in quorum Societate *nullus ordo, sed sempiternus* confusionis *horror inhabitet.* Hac de re ipsorum verba sunt pag. 186. *Etiam Papa pacta & promissiones servare debet cum ea sint de jure naturali ac gentium. Id vero intelligi debet ut Papa Concordatis ORDINARIE derogare non possit: licet secus sit, Si EXTRAORDINARIA ad bonum publicum Ecclesiæ necessi-*

necessitas postulet, hoc est, si Jesuitis multa & magnifica exstruenda sint Collegia. Tum Papa Concordatis derogare & invito naturali gentiumque jure fidem datam violare, suumque Germaniæ Episcopis jus auferre, & Monasteria jurisdictioni eorum eximere potest. Deinde docuerunt, Pontificē & Cæsarem religioni habere minimè debere, ut defunctorum voluntates ac suprema judicia rescindant irritaque faciant, cum aliena bona Jesuitis transcribere, & S. Benedicti aliorumque cælitum hæreditatem ad degeneres Ignatii filios transferre sit Æquitatis, & conditorum si minus verbis; saltem menti ac voluntati consentaneum. Hæc quippe eorum in Justa defensione verba sunt pag. 22. 23. & 264. *Quis non videat Fundatores, quippe qui nihil aliud spectare credendi sunt quam majorem Dei gloriam & Ecclesiæ Catholicæ bonū, statim hujusmodi translationi assensuros esse, & suam voluntatem justissimo Ecclesiæ Prælatorum judicio ac dispositioni subjecturos? Et sic oportet distinguere inter ultimæ voluntatis, seu piæ fundationis mutationem, & ultimæ voluntatis seu fundationis benignam interpretationem sive epÿkiam. Nam in tali casu non tollitur testatoris aut fundatoris voluntas, sed in melius commutatur.* Similiter Placid. discep. pag. 20. & 21. *Nemo fundatorum conditiones posuit futuris Pontificibus, ut monasteria non liceret in alios usus magis necessarios utilesque Ecclesiæ convertere. Non igitur contra intentionem Fundatoris venitur, si post tot annos in melius mutatur.* At enim ejusmodi benigna interpretatione omnia divina & humana jura nefariè violari adeo certum est, ut ipse Vincentius Filiutius Jesuita scribere non timuerit: *Pontifex tam ex officio, quam quasi ex contractu cum ÿs, qui bona Ecclesiæ reliquerunt, obligatus est lege divina & naturali tam illis, quam ÿs, in quorum emolumentum relicta sunt, non alienare, adeo ut si contrarium fiat, injuria fiat Fundatoribus, quorum voluntate legitima & rationabili non statur: lædatur utilitas publica cultusque religionis: fiat injuria Religiosorum successoribus: quæ tanto major est, si præter jacturam bonorum fortunæ, Famæ quoque periculum adsit, quod tunc accidit, quando bona ita sine causa auferuntur, ut*

Qualis est privata Societatis utilitas.

Quam Pontifex & Cæsar pro summa lege habere debent.

Cum major Dei gloria & Societatis cōmodū realiter idem sint nec nisi ratione distinguantur.

Itaq; contra Societatis cōmodum nulla lex, nullūq; testamentū quicquam valet.

Alÿ tamen fo-

Jesuitæ docent pontificem Monachis nihil posse adimere, ut det aliis. Sin id faciat, teneri eam ad restitutionem damni & honoris. *detur aliis probabilis suspicandi occasio, factum id esse vel propter ignorantiam, inertiam, inscitiam, vel propter vitam flagitiosam successorum. Itaque tenetur Pontifex & justitia reparare id quod interest, tam in fama & existimatione, quam in bonis temporalibus.* Quam porrò nihil omnino eorum quæ Ecclesiis donata & relicta sunt, posthac à mutationibus tutum sit futurum, si Pontifex istis perfidiæ magistris auscultet, eodem Astro pag. 151. et 153. sic demonstratur: *Quid difficile occurret inposterum, quod per epykiam & benignam interpretationem non possit eludi? aut quæ rerum circumstantiæ tandem non admittant ejusmodi benignam interpretationem quæ demum literæ, quæ sigilla, quæ jura manebunt intacta & inconvulsa si per assertam benignam cujuslibet interpretationem omnia exstinguere licebit? Quodnam Monasterium tandem manebit securum ab hujusmodi benigna interpretatione, cum hæc ratio sit Transcendens, & non tantum contra Monasteria à Protestantibus restituenda, sed etiam contra nunquam spoliata ex æquo procedat & militet? præsertim cum dicant Jesuitæ, pro reparatione fidei Catholicæ NIHIL VTILIVS posse excogitari, quam ut in QVIBVSVIS Germaniæ partibus Collegia Societatis QVAM PLVRIMA ex recuperatis bonis Ecclesiasticis & Monasteriis tam virorum, quam fœminarum instituantur, fundentur ac dotentur.*

Quantũ iniquitatis habeat Jesuitarum æquitas.

Caput XLII.

Jesuitæ Cæsarem ut Advocatum Monasteriorum docent propter ipsos pejerare.

TErtio Cæsarem docuerunt *vi* quidem *juramenti sui, & quia sit supremus Ecclesiarum Advocatus ac defensor, obligari & cogi jura ac bona veterum Ordinum tueri & ab hostibus recuperare*: Si tamen quam plurima Monasteria Jesuitis donare velit, non jam ullam ei jurisjurandi religionem, quin id faciat, obstare posse. Ei rei duo dixerunt argumenta. Vnum quia jusiurandum tali casu servare sit *contra mentem & praxin Majestatis suæ*, (ut in libello suo Confessarius ejus loquitur) hoc est, quia jam ante Cæsar plus semel contra quam juratus fuerat fecerit, Monasteria Ordinibus ablata Jesuitis donando. Cui consequens est, neque posthac eum adeo religio-

Dub. argumẽtis. Quia juramentũ servare sit contra mentẽ & praxin Majestatis suæ.

sum aut scrupulosum esse oportere, quin eodem modo à jurejurando Jesuitarum causa discedat. In qua argumentatione non alia est consecutionis ratio, quam illa quæ Ciceronis sententia continetur: *Qui semel verecundiæ fines transierit, eum benè & naviter oportet esse impudentem.* Cui consentaneum est, quod Machiavellus non tam probat, quam consuetudine fieri monet, homines male rem gerere, si nesciant omnino boni esse, aut omnino perfecteque improbi, sed medias insistant vias, ut nempe sibi nec in virtute, nec in vitio satis constent, alternis Catones, alternis Vatinii, nec probe memores verbi illius Apoc.22. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Recte autem Ordinum Advocatus in Astro suo huic Jesuitarum argumento istas Jurisconsultorum sententias reponit pag.146. *Non debemus attendere solum quid factum sit, sed potius quid faciendum. Quæ à communi jure exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Et pag. 184. *Non exemplis, sed legibus judicandum est. Et quæ gratiose alicui concessa sunt, non debent in argumentum trahi.* Alterum eorum argumentum est, quia Cæsar jus hoc violandi jurisjurandi magna pecuniarum impensa emerit, ac propterea nulla eum lex ad servandum illud alliget. *Tanto* (inquiunt) *sumtu Monasteria ab Hæreticis vindicavit, ut jure possit repetere summam pecuniæ, quam omnia eorum bona vix fortasse constituerent. Hanc ergo summam si liberaliter condonat, jure merito novus fundator, dotator & patronus Manasteriorum censeri & agnosci debet, immo quasi Emtor. Nam in illis restituendis ærarium afflixit, æs alienum contraxit. Ideo magna esset ingratitudo honorem illum negare recuperatori* Placid. Discept. pag. 6. & 37. quorum similia habet Ista defensio pag. 469. *Etsi verum est Cæsarem vi juramenti obligari ad tuenda jura ac bona Monasteriorum, inde tamen non rectè quispiam inferre poterit, Cæsari Ecclesiam saltem titulo gratitudinis obligatam non esse, ut voluntati ejus acquiescat,* quod perinde est ac si quis diceret, Eleemosyna in casu necessitatis est justitia, ac propterea Christus de eleemosyna loquens monet *ne justiti-*

Qui enim semel pejeravit, non debet posteà esse scrupulosꝰ in fide servanda.

Quia etiam Cæsar pejerandi licentiam magnis sumptibꝰ emerit.

Monachi essent ingrati in Cæsarem, nisi ab eo sibi Monasteria eripi paterentur.

am nostram faciamus coram hominibus & ut videamur, Matth. 6. Sicut & Prover. 21. scriptum est: *Justus tribuet, & non cessabit.* Itaque dives vi Justitiæ obligatur in necessitate ad cibum pauperi dandum; non tamen inde quis inferet, Pauperem saltem titulo grati animi non esse obligatum, ut sibi patiatur à divite colaphos impingi in caput, & latera fuste & ligno dedolari, seque lumbifragio mactum dimitti. Eis ergo sic disputantibus rectè in Astro pag. 135. regeritur: *Non amat, non desiderat Cæsar eam gratitudinem, quæ sine Justissimis Religiosorum Ordinum lacrymis offerri non potest. Non delectatur ea gratitudine, qua videat Ordinibus pro tot millionibus auri ad bellum Germanicum expensis, pro tam fidelibus servitiis ipsi & Imperio hucusque præstitis non nisi suorum jurium & Monasteriorum suppressionem & exstinctionem rependi.* Nimirum longe certius est, Cæsarem aliquot auri milliones, ut jura ac bona sua tueri ac recuperare posset, à Religiosis Ordinibus accepisse, quam Ordinum causâ vel teruncium expensum tulisse. Nec tamen eorum modo pecuniis fuit adjutus, sed etiam cum ipsorum precibus tum Divorum illorum auxilio, quorum hereditates simul cum regnis ac provinciis suis bello vindicabat, quod futurum Psal. 82. ita prædictum fuit: *Omnes Principes eorum qui dixerunt, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei, faciet illis Deus sicut Sisaræ: contra quem de cælo dimicatum est. Stellæ manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Judic. 5. Stellæ sunt sacri Religiosorum Ordines. Daniel. 12. *Qui ad justitiam* (verbo & exemplo) *erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ, & in medio nationis pravæ ac perversæ lucebunt sicut Luminaria in mundo*, Philip. 2. Hi sunt, quos rapinis suis Protestantes ad capienda precum et supplicationum arma bellumq; spirituale adversus ipsos gerendum compulerunt, ut Mich. 2. legimus: *Desuper tunicam pallium sustulistis, & eos qui transibant simpliciter, convertistis in bellum.* Horum conditores duces ac patriarchæ et majores sunt illi, de quibus Apoc. 19. Scriptum est: *Vidi Bestiam & reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendam prælium cum Christo &*

Cæsar nihil impensarũ Monachorum causa fecit; Sed sua recuperavit adjutus Monachorũ pecuniis & precibus.

sto & exercitibus in cælo, qui sequuntur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. Byssinum autem sunt justificationes sanctorum. Jam ergo videt Cæsar, cujus opus fuerint tot victoriæ, quas annis superioribus obtinuerat: non Militum ejus, sed Ordinum Religiosorum, et Divorum cœlitum, qui Ordines condiderunt, quique sub signis eorum per multa sæcula Christo militantes *vicerunt, & vestiti sunt vestimentis albis, & sederunt cum Christo in throno ejus,* ipsoque duce *in justitia judicant & pugnant.* Apoc. 3. et 19. de quorum pugna et victoria Apoc. 17. ita fit mentio: *Reges impij cum agno pugnabunt, & vincet illos Agnus, & qui cum illo sunt vocati & electi & fideles.* Quisquis ergo Cæsari suadet, ut Sanctis Ordinum cōditoribus hęreditates suæ eripiantur et alienis dentur, hic ei auctor est, ut bellū adversus cælestes illos Reges, h. e., adversus Agnū ipsum suscipiat, quippe qui sunt *unum cum Agno, in quibus Agnus se futurum & apud eos mansionem facturum* prædixit, Johan. 14. & 17. Itaque Cæsarem vinci necesse est, si Monasteria auferat Ordinibus & det Jesuitis: quod ipsi eum contra quam juratus fuit facere non modo posse, sed etiam debere docent, & perjurii ipsorum causa se alligare ac reum facere hortantur. Sunt enim ista eorum verba: *Hoc rerum statu Cæsar sub gravi obligatione in conscientia tenetur, ut ex bonis Ecclesiasticis & Monasteriis tam virorum, quam fæminarum Gymnasia & Scholas, Collegia item ac domicilia quam plurima Patrum Societatis Jesu in quibusvis Germaniæ partibus instituat, fundet ac dotet:* de quo videatur Astri pag. 185. quo loco animadversionem meretur, quod minime satis habent utilitatis suæ causa perfidiam ac perjurium Pontifici et Cæsari suadere, sed hoc amplius contendunt, id Regulæ atque instituto & professioni ipsorum convenire, ita ut graviter peccet Jesuita, qui Principi cui est à Confessionibus, necessitatem juris ipsorum causa pejerandi non diligenter rebusque relictis inculcat. In Justæ namque Defensionis proæmio num. 13. totidem verbis pro Lamermanni ad Cæsarem libello causam dicunt: *Lamermannus officii obligatione secundum conscientiam permotus epistolam ad*

Et cælesti ope sanctorum Monachorū cū Christo regnantium.

Illis tot suas victorias debet.

Quibus si suas adimat hæreditates,

Bellum adversus illos & ipsū Christum suscipit.

In quo certò vincetur.

Jesuitæ aperte Cæsari perjurium suadent Ideoque se officium facere & Regulæ Societatis parere prædicāt.

 Cæsa-

Cæsarem perscripsit; in eoque recte egit (quod Cæsari jurisjurandi violandi, nec aut in Edicto suo, aut in voluntate pluribus literis Romam missis declarata constanter permanendi auctor fuit) *& aliter agere non debuit. Immo si Cæsarem non monuisset, reprehensionem meritus fuisset, tanquam boni Confessarij officio secundum Societatis nostræ Regulas non recte functus.* In Regula *omnia ad majorem Dei gloriam* referre, & quoniam eadem Regula pro explorato habet, Societatem ipsorum illustrandæ & amplificandæ gloriæ divinæ appositissimum vereque unicum telum et instrumentum esse, nihil Societatis emolumento conducibile prætermittere, et omnia incremento ejus obstantia tollere jubetur. Jam vero jusjurandum illud, quo se Cæsar Pacem Religionis conservaturum, et Ordinum Imperii jura ac bona legibus ac legionibus tutaturum. Advocati Ecclesiarum et Judicis officio functurum. Monasteria Ordinibus per vim erepta recuperaturum, nec ad alios translaturum Deo teste recepit ac promisit, incremento Societatis vehementer obstat. Peccasset ergo Lamermannus parumque sancte Societatis Regulam habuisset, nisi Cæsarem monuisset, eum salva conscientia in fide et sacramenti Imperio dicti religione permanere nequaquam posse, sed ita cogitare secum debere, jusjurandum rei Catholicæ iuvandæ ac servandæ, non perimendæ ac perdendæ causa inventum fuisse, nec *iniquitatis vinculum* esse oportere. Futurum vero iniquitatis vinculum, si eo se Cęsar obligari ac retineri patiatur, quo minus quam plurima Germanię Monasteria ad Societatem Jesu transferantur.

Nam Regula jubet Cõfessarios Principũ omnia ad majorem Dei gloriam referre. Id est, ad Societatis lucrum. Quod lucrum impeditur per Cæsaris jusjurandum. Eum ergo Confessarius suus hortari debet ne jus jurandũ servet: cùm illud sit vinculũ iniquitatis. IdJesuitæ quatuor argumẽtis docent. *

Caput XLIII.

CVr autem plurimum ea res iniquitatis habeat, quatuor argumentis docere conati sunt, quorum primum est, quia Societas quotidie numero crescat, nec tanta habeat vectigalia, quanta in victum tot Sociis sint necessaria, qua de re ipsorum

rum

* *Primum multi quotidie fiunt Jesuitæ. Itaque danda eis sunt Monasteria, unde vivant.*

rum verba sunt: *Cum à paucis retro annis numerus Religiosorum Societatis in Germania multum auctus sit, & in dies augeatur, consequens est, ut proventus quoque pro sustentatione necessarii augeantur, qui cum aliunde hoc rerum ac temporum Statu haberi non possint, Cæsar in conscientia obligatur, ut ex recuperatis Monasteriis quam plurima Societati fundet Collegia.* Quid ei autem potius consequens sit, Cæsarem obligari, ut totam Societati donet Carinthiam, cujus alienandi jus habet, cum ea quæ semel Deo consecrata sunt Monasteria, in alios usus convertere nec per divinas, nec per humanas leges ei liceat? Quæ verò est necessitas, ut ad Societatem quotidie *Plures accedant thynni & cetaria crescant?* cum per Monachos ad majorum suorum similitudinem redactos totum septentrionem ad Ecclesiæ communionem brevi tempore reductum iri, tot superiorum sæculorum exempla spondeant. Prĉterita quippe sunt umbra et figura futurorum. Itaque *Sapiens qui scit præterita, de futuris æstimat*, Sapient 8. *Quæ futura sunt, jam fuerunt, & Deus instaurat quod abiit*, Eccl.3. Si ergo Cæsar majores suos imitatus synodorum opera veteres Religiosorum Ordines in pristinam sanctitatem reformet, eundem se laboris sui fructũ mox capturum merito spe præcipit, quem illos cepisse constat, ut annis non multis regna vastissima ex regione et umbra mortis ad claram Catholicæ veritatis lucem adducta cernerent. Ita nihil attinebit Jesuitas Diaboli artibus uti ad homines in Societatem suam illiciendos, quod illi se Ignatii patris sui imitatione facere minime dissimulant. In ejus quippe vita à Maffeio descripta Romæque edita lib.3.cap.11.ita scriptum habemus. *Ignatius miræ fuit solertiæ in solicitandis mortalibus, & à Diaboli servitute ad Christi obsequium traducendis: ac quibus Artibus Dæmon ad animarum perniciem utitur, easque ipse quoad liceret ac fas esset ad hominum salutem transferebat. Volũtates ac naturas eorum quibuscum ageret festine odorari, ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponere, & suo quod ajunt HAMO vel ESCA quemque piscari.* At enim Christus et Apostoli non Hamo piscati sunt, nec Esca vel gloriĉ,

Sed potiꝰ Cæsar eis donare debet Carinthiã, cujꝰ donandi jus habet.

Nulla est necessitas ut plures fiant Jesuitæ: Cum Monachi reformati lõge Jesuitis sint utiliores.

Cur multi fiant Jesuitæ, causa est quia Diabolicis artibꝰ in Societatem illiciuntur.

Jesuitæ piscantur Hamo.

vel

Christ9 & Apostoli laxabant retia in dextram navigij partem.

vel utilitatis, vel voluptatis pisces ceperunt aut capere docuerunt, sed *Rete* modo *in dextram navigii partem laxarunt in capturam* (Luc.5. Johan.21.) ut tantum spiritualia & æterna bona animis affectanda, nihil de sæcularibus & caducis cogitandum docerent. Et tamen omnia ostenderunt ad munus Piscatoris animarum utilia, velut de se Deus profitetur Isai.48. *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, & gubernans te in via, qua ambulas*, in via nempe misericordiæ & veritatis, non Avaritiæ aut duplicitatis. *Vniversæ* enim *viæ Domini misericordia & veritas requirentibus testamentum ejus*, Psal.24. Paulus similiter ad Episcopos Act.20. *Nihil subtraxi utilium, quo minus docerem vos. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis OMNE Dei consilium* (de rebus ad munus vestrum utilibus. *Consilium in hoc do, hoc enim vobis utile est*, 2.Corint.8.) *OMNIA ostendi vobis, quoniam* Ecclesiæ ministros *oportet meminisse verbi, illius quod dixit Christus, Beatius est magis dare, quam accipere.* Sed diabolus longe diversam auditoribus suis facit acroasin, eosq; monet meminisse versiculi illius Enniani, *Vnde habeas, quærit nemo: sed oportet habere:* Qua sua doctrina abducit homines à simplicitate Christi, ut *duplici corde & malignè ad Deum accedant* (Eccle.1.) quodque suæ ipsorum gloriæ, utilitatis aut voluptatis causa atque haud scio an *propter regnum culorum*, seu Pygiacam jurisdictionem faciunt, paupertatem, obedientiam & castitatem voventes, id Deo imputent, ac *propter regnum cœlorum* facere credi velint. A quo Diaboli artificio sic vos Paulus deterret 2.Corint.11. *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua* (quam Hamo suo captavit, & splendida ac jucunda ei proposuit) *ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo, per pseudo apostolos, operarios subdolos, ministros Satanæ transfigurantes se in Apostolos Christi, qui eos quibus evangeliZant in servitutem redigunt, qui accipiunt* (non dant) *qui devorant* (*domos viduarum*, sive Ecclesiarum sponso orbatarum, Matth.23.) *qui extolluntur* (suumque vitæ genus longè perfectissimum esse gloriantur, & *supra modum Apostoli* videri postulant, 2.Cor.12.) *qui in faciem alios*

Sed Diabol9 Jesuitas alium piscatum docuit.

Jesuitæ duplici corde ad Deum accedunt.

Habent sensus corruptos & alienos à simplicitate Christi.

aliis cadunt, sua eis beneficia ac merita exprobrantes. Ex quibus apparet, istos Corinthiorum Presbyteros *vocatos à Deo in societatem filij ejus Jesu*(velut 1.Cor.1. docemur)non aliter quã hodierni Jesuitæ faciunt, dociliores se Satanæ, quam Christo & Paulo prębuisse discipulos,& persuasum habuisse, licere ac fas esse uti Artibus Diaboli, & Hamatili piscatu homines captare atque in societatem suam illicere: quos quis maneat exitus, hoc modo prænunciatur Isai.19. *Mærebunt Piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen Hamum.*

Oraculũ de Hamatili Jesuitarum piscatu.

Caput XLIV.

Secundũ argumẽtum.

ALterum Argumentum est, quia Jesuitæ bonum habeant appetitum, eisque velut fame aridis dentes dentiant, & magnum percurrant murmura ventrem, nec alia res, quam Monasteriorum opes iratum ac latrantem stomachum eorũ placare, & intestinorum possit murmur compescere. Verba ipsorum sunt Justæ defens. pag. 392. *Patres Societatis* (viri desideriorum) *desiderant & Appetunt bona Monasteriorum non propter se* (hoc Jupiter Diique omnes procul avertant, ut Jesuitæ, cum *Patres* sint, *sibi à filiis thesaurizari* postulent, & bona aliena propter se ipsos potius, quàm ad majorem Dei gloriam appetant) *sed ut sint in sustentationem plurium ad fidei Catholicæ propagationem incumbentium.* Sed ô famelica hominum natio, vereqve esuritionum Patres, in mentem vobis esse oportuit, quod Romanæ fidicen lyræ non minus verè, quam suaviter canit:

Jesuitæ habent bonum appetitũ. Ergo dãda eis sũt Monasteria devoranda. Jesuitæ Patres esuritionum. Hydropicis similes.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Medicina vobis opus est, quæ alvum ducat; non cibo, qui inanimenta expleat. Bulimia non implendo, sed vacuando curari postulat. *Justus comedit & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis*, Prov.13. *Avarus non implebitur pecunia, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis*, Eccl.5. *Insatia-*

Medicina vacuãte, non cibo replente curari debent. Avaritia enim impleri nequit.

satiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis non satiabitur, sed TOTUM in hamo sublevabit, & congregabit in rete suum, Eccl. 14. Habac. 1. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli & desideria multa nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*, 1. Tim. 6. Nam & primum fidei caput sive articulum non credunt, esse scilicet unum Deum, eumque patrem omnipotentem, qui necessaria dare filiis velit & possit (nam & Aurum faciunt Deum, quod plus quam Deum diligunt, ejus causa injustè facere & Deum offendere non dubitantes, & Deo voluntatem aut facultatem suos alendi deesse putant) & cum alienarum opum, quas vident, potiores fieri nequeunt, dolent animisq; anguntur & cruciantur. Nullum proinde aliud morbi habent remedium, quam ut avidum doment Spiritum, oculos compescant, causamq; morbi, quæ est supervacuorum cupiditas, ex animo ejiciant, velut Prov. 23. monetur: *Noli laborare ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.* Et Luc. 12. *Nolite quærere, quid manducetis aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli* (i.e. ne erigite oculos ad opes supervacuas, qvas sine peccato habere non potestis.) *Hæc enim omnia gentes mundi quærunt.* Etsi nec eruditiores gentilium oculis suis tam alte subvolare permiserunt, ut supervacua & inania expeterent. Est enim Epicuri scitum; *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam eris dives*; qvod Seneca sic explanat: *Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia, ubi desinant non habent; nullus enim terminus falso est. Via eunti aliquid extremum est, error immensus est.*

Avari errant à fide. Et inserunt se doloribus multis.

Jesuitæ primum omnium avaritiã suam sanare debent.

Ne supervacua appetant.

CAPUT XLV.

Tertium argumentum.

TErtium Argumentum est, quia bonam Jesuitæ de Pontifice & Cæsare spem habeant: ad quos cum hic *sermo Dei*

factus

factus sit, Vos Dii estis (Johan. 10.) minime decere, ut Jesuitas eis fretos spes sua confundat. Aliter quippe Dii isti multis desperationis causam afferrent, ut abirent clanculumq; se suspenderent. *Si Pontificis (inquiunt) atque Cæsaris consilium, ut sperare licet, de bonis quibusdam Ecclesiasticis ad Scholas & Gymnasia applicandis successum habiturum sit, dubitari non potest, Patrũ Societatis operam adhibitum iri.* At enim fulmine isto hæc eorum spes dissipatur Jerem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine & qui ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ej9. Erit enim quasi myrica in deserte, & non videbit cum venerit bonum.* Idumæos certe, filios Esau, non dissimiliter olim perdidit injusta alienorum bonorum cupiditas, & fiducia quam in cavernis Petræ inque Collis altitudine, tanquam in gratia & favore Pontificis & Cæsaris, collocatam habebant, velut oracula prophetarum docent, quæ non magis de Esauitis, quam de imitatoribus & cognatis eorum Jesuitis interpretari licet. Jerem. 49. *Ecce parvulum dedi te in gentibus* (Societatem inter Religiosos minimam) *contemptibilem inter homines. Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui: quia habitas in cavernis Petræ* (totque privilegiis â Petri successore munitus es) *& apprehendere niteris alitudinem collis* (id est, Celsitudinem Principum tibi præsidio futuram speras, in quorum gratiam malis pariter bonisque artibus irrepsisti, quo argumento Jesuitæ Justæ defens. pag. 160. prædicant: *Austriæ & Bavariæ Principes, qui Monasteriorum translationes à Sede Apostolica impetrarunt, nos indefensos non relinquent*, quando scilicet Papa priorum Pontificum, à Jesuitis eorumque suffragatoribus circumventorum, acta rescindet, ac Monasteria Ordinibus suis restitui jubebit, tum Austriaci & Bavari arma pro Jesuitis adversus Pontificem capient, id perinde est ac si dicerent, quicquid Sabini somniaverint, haud dubie evadet exituque comprobabitur) *Cum exaltaveris quasi Aquila nidum tuum, inde detraham te. Periit consilium à filiis* (Societatis) *Inutilis facta est sapientia eorum. Vastatum est semen ejus* (seu Tirones aut Novitii) *& Fratres ejus* (qui Fratres Nolares perhibentur) *& vicini ejus:*

Jesuitæ de Papa & Cæsare bene sperant. Nõ ergo spes sua debet eos confundere.

Esauitas olim similiter ut Jesuitas perdidit avaritia & spes in ope humana.

Populus Idumæus figura Ordinis Jesuitici.

Noll-Brüder.

jus: & non erit. Ps. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom, in die Jerusalem: qui dicunt, Exinanite, exinanite usq; ad fundamentũ in ea*, et omnem Benedicti familiam domiciliis et latitudinis suis evertite, interq; Episcopos, Cardinales, Principes, Milites et Jesuitas Monasteria et bona eorũ partite. Abd. 1. *Propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob* (ordinem S. Benedicti) *operiet te confusio & peribis in æternum. In die cum stares ex adverso, quando extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem* (Monasteria dividentes) *tu quoq; eras quasi unus ex eis*. Ezech. 35. *Hæc dicit Dominus ad te mons Seir. Audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israel* (i. e. de antiquis Monachorum Ordinibus, quos libris editis infamasti) *dicens, Deserti nobis ad devorandum dati sunt* (Pontifex et Cæsar in conscientia obligantur Monasteria exstincta in Jesuitarum Collegia convertere) *sicut gavisus es super hæreditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi. Dissipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis*, et omnis populus dicat, Amen.

Caput XLVI.

Quartum argum. Jesuitarũ institutũ & professio est vivere ex rapto. Cũ conditor Societatis fuerit miles rapinis assuetus. De quo prædictũ est fore raptorem animarũ.

QVartum Argumentum est *quia institutum Societatis peculiariter ad hoc tendat, ut Collegia instituantur*, ex Monasteriorum nempe ruinis aut alienorum bonorum rapinis, à quibus Societatis institutor & conditor Ignatius cum etiamnum ad legionem bellator esset, minime alienus fuisse, nec à solita militum rapacitate quicquam demutasse sine ulla ejus cõtumelia creditur. Vt enim ipsi agnoscunt Placidæ Disceptat. pag. 25. *Negotiator suas fraudes, Miles suas Rapinas sibi objici utcũque patitur, nec tam tener animoque mollis est, ut nota mundo delicta taxari indignetur*. Etsi autẽ militiam mutavit, ac simul cum Sociorum ne dicam Furum manipulo, Christo Imperatori Sacramentum dixit, nõ propterea Rapinam omnem ejerare necesse habuit, cum de illo scilicet ex vulnere cruris claudicante Isai. 33. prædictum fuerit: *Tunc dividentur spolia prædarum multarum: Claudi diripient Rapinam*. Nec tamen animas modo captivas, *à Forti tollere, & quod ablatum esset à Robusto*

basto salvare debuit(Isai.49.)sed etiam(si fas est credere,quod filii ejus jactitant,eundem qui in illo fuit, hodie quoque in Societate Spiritum vigere) opes & facultates alienas *non quidem propter se*, quod vulgo faciunt milites (hoc enim Johannes sic eis interdixit: *Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Luc. 3.) *sed ad majorem Dei gloriam* aliis,qui Ecclesię minus sunt utiles,auferre potuit. Scriptum quippe est Proverb.13. *Bonus relinquit hæredes filios & nepotes: & custoditur justo substantia peccatoris.* Et Sapient. 10.*Justi tulerunt spolia impiorum.*Cum igitur veteres Monachorum Ordines sint peccatores & impii, Societas verò ut Bellarminus in præfatione Gemitus Columbæ testatur, sit justa, *vivumq; & verum Ecclesiæ membrum*, (quam propterea *ad plangendum* invitat, *ut Deus alios Religiosos relaxatos convertat*, quo ipso satis apertè fert,reliquos Ordines non esse viva & vera Ecclesiæ membra,unde haud dubie Societas *stans hæc apud se orat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri Ordinum Religiosorum, vel ut etiam hic Benedictinus & Franciscanus*) quis intercedere ausit, ne Monachorum hæreditates Jesuitæ cernant,& substantiam Monasteriorum velut spolia auferant? Societas nempe est Mulier illa de qua sub figura & futuri umbra Deus Exod.3.dixit: *Postulabit mulier à vicina sua & ab hospita sua* (à D. Benedicti familia) *vasa argentea & aurea ac vestes. Et dabo vobis gratiam coram Ægyptiis, spoliabitis Ægyptum.* Nec vero Benedictini, Cistertienses aliique Ordines se à Societate spoliatos diffitentur, bona verò gratia sua id factum pernegant, in quo Jesuitæ eos probi Religiosi officio nequaquam fungi insimulant. *Hic enim* (inquiunt) *ita animo comparati esse debent; ut si sua sibi* (à Jesuitis) *eripiantur, de Rapina bonorum gaudeant*, Placidæ disceptat. p. 23. ad rationem nonam. At enim Monachi tantum ab eo absunt, ut sese â Jesuitis patrũ suorum hæreditate spoliari gaudeant, ut recte se Machabæorũ exemplũ imitari putent, iisdemq; quibus illi verbis de se profiteantur: *Neq; alienam terram sumpsimus,neq; aliena detinemꝰ: sed tempus habentes, vindicamus hæreditatem patrum nostrorũ,*

Atq; etiã alienarũ opum.

Non quidem propter se; Sed ad majorem Dei gloriam.

Monachorum ordines sunt peccatores & impii.

Jesuitæ verò justi.

Societas est mulier,cui Deus dat gratiam spoliandi Ægyptũ.

Jesuitæ avari & captatores sicut olim Pharisæi

quæ injustè ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est, 1. Mach. 15. In captatoribus verò et Hęredipetis Jesuitis Pharisæos illos se agnoscere prędicant, qui *in sublime tollebantur, quicquid altũ est hominibus* appetentes, et *sub prolixæ orationis* et impensarum *ad ædificanda prophetarum sepulchra*, inq; maritima et pedestria itinera *proselytos facientibus* necessariatũ *obtentu, quodq; instructi per legem essent duces cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistri infantiũ* (Rom. 2.) *viduarum domos devorabant, & in se confidebant tanquam justi & aspernabantur cæteros*, ejusmodi carmine aut formula *apud se orantes: Deus gratias ago tibi, quod nõ sum sicut cæteri hominũ, raptores, injusti, adulteri, vel ut etiam hic publicanus: à foris deniq; parebant hominibus speciosi & justi, intus autem pleni erãt hypocrisi, iniquitate, rapina & omni spurcitia*, Mat. 23. Luc. 11. 12. et 16.

Caput XLVII.

Duodecimum Hydræ caput, est Cardinaliũ, Episcoporũ, Principum & Militum inescatio.

Jesuitæ gloriãtur factum quod ipsi de Monasteriis faciendũ suaserãt.

DVodecimum Hydræ Jesuiticæ caput est Cardinalium, Episcoporum, Principum secularium & Militum solicitatio & inescatio, quos in prędæ partem vocant, & Monasteria atque opes eorum, quæ pauperum sunt patrimonia, inter se docent dividere, tantum ut ipsi quoque in sacrilegii Societatem ab eis admittantur: quam etiam doctrinam eis se persuasisse, eaque re factum esse, ut plurima Monasteria reclamantibus divinis humanisque legibus contra eorum, qui ea condiderunt, sanctiones, omni dirarum ac Thyestearum precum genere munitas, aliis usibus applicarentur, magnifice gloriari non dubitant. Sunt enim hæc ipsorum verba in Placida Disceptatione.

Pag. seu columna 4. *Quædam Monasteria data sunt aliis Monachis, quædam promissa etiam Ordinibus militaribus, plurima data sunt & dabuntur Episcopis, quædam Clericis secularibus, quædam Societati, multa in belli sumptus Principibus ad certos annos. Quare hæc quæstio*, utrum Monasteria contra fundatorum mentem aliò possint transferri, *ad omne hominum genus pertinet. Eadem enim debet esse in dando, petendo, accipiendo justi-*

justitiæ, magnumque in damnando Pontifice, Cæsare, Cardinalibus, Episcopis, Principibus, Ordinibus (Militaribus & Monasticis) *& Doctoribus* sive Jesuitis *periculum.*

At enim prius Cæsarem Jesuitæ, tum Pontificem circumvenerunt, alia de Jure, alia de facto mentientes. v. g. Abbates Ordinum veterum in Cæsaris regia procuratores, tãquam *plenipotentiarios*, sive omni auctoritate instructos gratæ voluntatis erga Cæsarem testandæ causa ei permisisse, ut multa Monasteria alio transferat: Monasteria pleraque *esse exstincta & sub ruderibus jacere:* Veterum Ordinum Monachos non habere homines, qui in propaganda & conservanda fide Catholica operæ pretium facere queant, cum plerique sint *ventres pigri, stupidæ pecudes, inutilia terræ pondera:* Jesuitas *multos esse & semper fore doctrinâ, prudentiâ, virtute atque Apostolico Spiritu præditos: Societatem ipsorum habere aromata à putredine præservantia,* ita ut nunquam corrumpi aut à pristino Spiritu & virtute degenerare possit. Hujusmodi artibus & mendaciis Pontifici & Cæsari imposuerunt: adeoque omnes istæ Monasteriorum translationes obreptitiæ sunt ipsoque jure NULLÆ: quas bonæ conscientiæ Pontifex aliquando rescindet irritasque & infectas reddet, sicut Cœlestinum III. & Innocentium III. laudatissimos Põtifices fecisse constat. Verum Societas fieri potest, ut quoniam se tanta spe decidisse videt, ac Monasteria partim penes Protestantes mansisse, partim in potestatem eorum rediisse intelligit, sua nunc faciat verba mulieris illius meretricis coram Salomone de puero disceptantis: *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.*

Mendaciis suis Papã & Cæsarem circumvenerũt.

Itaque Monasteriorum translationes ipso jure sunt nullæ.

Pag. 6. *Cæsar potest ex Monasteriorum bonis, & aliquando obligatur dare alijs Monachis, militibus, Ecclesiarum* sive Episcoporum *debita solvere* (maxime quando supervacuis impensis in Jesuitarum Collegia aut spectacula scenica factis rem confregerunt) *novas parochias instituere, veteres augere, templa restaurare. Atque hic multiplex Justitiæ ratio invenitur. Æs alienum Ecclesiarum dissolvit: Rempublicam opis egentem adjuvat. Ex justitia quoque Pontifex, Cæsar, Episcopi, Principes obligantur*

Jesuitarum de jure mendacium, quo Cæsari imposuerunt.

tur provinciis providere de animarum salute: Doctores pastoresque numero & facultate docendi sufficientes mittere. Quod si in Militem, corporum & opum defensorem census Ecclesiasticus BENE impenditur, quanto magis in Jesuitas Doctores, qui animas servant?

Hinc apparet, quantopere Jesuitæ Cæsari de jure mentiti fuerint, Jus scilicet fasque faciunt, Militibus dare bona Monasteriorum, ut æquius justiusque credatur, ea dare Jesuitis; quasi vero minus piaculum sit, Deo bona sua eripere, quam à mercatoribus & nobilibus prædam agere, ut sit unde stipendia militantibus pendantur. Qui vero sunt illi, qui corpora & opes Christiani populi defendunt? legionesne Militum cum Amalec in campestribus sub duce Josua signis collatis depugnantium, an verò *Moyses in vertice collis* manus ad Deum elevans? Id verò sic nos Scriptura docet Exod. 17. *Cum Moyses manus levaret, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Et Iud. 4. *Moyses Amalec confidentem in potentia sua & in exercitu suo, non ferro pugnando, sed precibus sanctis pugnando dejecit. Sic erunt universi hostes Israel,* ut nimirum non Militum manibus, sed hominum Deo cohærentium precib9 & meritis superentur. Et Iudic. 5. discimus victoriam Barac opus fuisse nõ Militum ejus, etsi animis armisque paratissimorum sed *stellarum de cælo adversus Sisaram* pro Dei populo *dimicantium*: quo pacto S. Gregorius, quod Romam Longobardi obsidione diuturna capere non potuerint, ancillarum Dei in Monasteriis manus levantium precibus & lacrymis acceptum referendũ esse confitetur. Vt facile existimari queat, quo animo Jesuitas laturus fuerit, qui census sacrarum Virginum rectius in milites & ludimagistros impendi docent, & fœminarum *Virginitatẽ* velut *solitariam, reclusam, otiosam, sibi soli vacantẽ* præ sua *virginitate publica, negotiosa, prædicante* (an pædicante) *& animarum Zelo ardente* contemnunt (Placid. Discept. pag. 34.) ac propterea *domibus deliciarum suarum eas ejicere, à parvulis* seu novitiis *earum Dei laudem in perpetuum auferre*, & in domiciliis earum *Requiem* sibi quærere non verentur, velut *Prophetas* illos *in*

Non militum arma defẽdunt corpora & opes Christianorũ.

Sed sanctorum Monachorum orationes & merita.

Romam defenderunt orationes Virginũ Monialium.

Etsi eos Jesuitæ præ sua Virginitate contemnunt.

los *in pecunia divinantes & pacem Ezechiæ regi ac principibus prædicantes* facere solitos Mich. 2. & 3. legimus. At enim Paulus istos solitarios, reclusos, & orationi diu noctuq; instantes nequaquam sibi solis vacare, sed semper solicitos esse multũque laboris pro aliorum salute & perfectione capere perspicuè affirmat Col. 4. *Epaphras servus Christi semper solicitus pro vobis in orationibus, ut stetis pleni & perfecti in omni voluntate Dei. Testimonium illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis.* Longè autem majus esse hominum ejusmodi semper orantiũ laboris pretium, quam illorum, qui Verbi & Sacramentorum administratione occupantur, Iac. 5. sic docemur: *Orate pro invicem ut salvemini, Multum enim valet deprecatio justi assidua.* (Ecce, quomodo orationes salutem hominibus conficiant) *Elias homo erat similis nobis & orationem oravit, deditq; cælũ pluviam, & terra dedit fructum suum*: Cœli sunt, qui *enarrant gloriam Dei*, sive prædicatores, ut Paulus interpretatur Rom. 10. Terra sunt audientium corda, Matth. 13. Homines ergo Elię solitario & in Contemplationis monte oranti ac jejunanti similes, orationibus suis faciunt, ut *cæli dent pluviam* id est, ut Prædicatores salutarem doctrinam loquantur, utque *Terra det fructum suum*, id est, ut auditores agant pœnitẽtiam & credant Evangelio, saluiq; fiant, ex quo perspicuum fit, auditorum pœnitentiam, fidem & salutem non Prædicatoribus, sed Contemplatoribus orantibus deberi & horum solitudinem esse matrẽ tot filiorum, quos negotiosa Iesuitarum inertia nullo jure sibi vindicat, velut Isai. 49. & 54. prædictum fuit: *Lætare sterilis, quæ non paris* (non prædicas verbum, adeoq; Christo per Evangelium filios gignere non censeris) *decanta laudem & hymni* (psalmodiæ vacando) *quæ pariebas: quoniam multi filÿ desertæ magis, quam ejus quæ habet virum. Et dices in corde tuo. Quis genuit mihi istos: ego sterilis, & non pariens: transmigrata & captiva* (sive inclusa) *& istos quis enutrivit? ego destituta & sola: & isti, ubi hi erant?* Itaque Paulꝰ cum omni sanctitate sua, cumq; gratia miraculorum, quam habebat, nondum properum Evangelii sui cursum, aut prosperum prædicationis successũ promit-

Paulꝰ testatur Monachos multum pro salute hominũ laborem habere.

Et ille labor multo plꝰ hominibꝰ prodest, quam Jesuitarum occupatio.

Monachorum vita Contẽplatiua est fœcũda mater multorũ filiorum.

Paulus sanctorũ orationes

 tere *plꝰ pro-*

desse cēsebat, quā suā sanctitatem, prædicationē & miracula.

tere sibi ausus est, nisi sanctorum orationes sibi quidem ostiū sermonis aperuissēt, auditoribus verò *ostium Fidei* Act. 14. Ejus rei indicium ex his ejus verbis fieri poterit. 2. Thess. 3. *Orate pro nobis, ut sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud nos.* Col. 4. *Orationi instate pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.* Eph. 6. *Orate omni tempore pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, ita ut audeam prout oportet me, loqui.* Et adhuc Iesuitæ persuasum aliis volunt, se demum esse animarum servatores, & hanc laboribus suis mercedē deberi, ut Monasteria hominibus multum & utilissimum pro aliorū salute laborem capientibus auferantur & sibi dentur, cum tamen nihil sint aliud, quàm *æs sonans & cymbalū tinniens.* 1. Cor. 13. *qui alios docent, se ipsos non docent* Rom. 2. in quos convenit illud Eccl. 37. *Vir peritus multos erudivit* (dignosque pœnitētiæ fructus facere, omnia sæcularia desideria abnegare, & carnem suam crucifigere docuit) *& animæ suæ suavis est* (nihilq; plus quam quivis de populo jejunat, paupertatē vovit, ut paupertatem effugeret, obedientiam vovit, ut multis imperaret, castitatem vovit ac *se ipsum castravit* fortasse non tam *propter regnum cœlorum*, quam ut paulo prius monui, propter regnū culorum & pygiacam provinciam, ut epheborum natibꝰ jura possit reddere, eaque theoria oculis epulas præbere) *Qui sophisticè loquitur* (dicens, & non faciens) *odibilis est. Omni re defraudabitur* (nec docendo quicquam aliis proderit) *Non est enim illi data à Domino gratia*, alios inducendi, ut *in humeros* suscipiant *onera gravia, quæ ille imponit, digito autem suo non vult ea movere*, Matth. 23.

Iesuitarū labor inanis & sine fructu.

Caput. XLVII.

Iesuitæ contēdūt Monasteria sine sacrilegio posse aliò trāsferri.

Pag. 15. *Ex Monasteriis Episcopatibus succurritur & parochiis, dantur Commendæ benè meritis, & accipiuntur. Hæc omnia Sacrilegio deputare hominis est leges ignorantis.*

At enim Spiritui sancto & sextæ Synodi Patribus visum est ingens Sacrilegium, bona Ecclesiis donata in alios, quam quos donatores voluerunt, usus convertere. Apostolici & Synodici De-

ei Decreti verba sunt: *Valde iniquum & ingens sacrilegium est, ut quacunque vel pro remedio peccatorum, vel pro salute aut requie animarum suarum unusquisque Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, in aliud transferri aut converti permittatur.* Itaq; si Jesuitis fides est, spiritus sanctus, ab eoque inspirati Symmachus papa & Concilii Patres Leges ignorarunt. Nec refert, quod Jesuitæ defendunt, *usitatum hoc esse in Ecclesia*, seu consuetudine fieri, *ut Ordines Ordinibus substituantur*. Fit enim, ut Pontifices falsis narratibus circumveniantur, aut extraordinaria legibusq; soluta utantur potestate, cujus jus eis facit justa causa, hoc est vel magna & evidens Ecclesiæ utilitas vel necessitas, si nempe Ordinis ejusdem desint Monachi quos in Monasteriis Ordini consecratis collocari expediat, aut si Principes ea mutari tam improbe contendant, ut gravioris mali vitandi causa Pontifex eis refragari timeat: quo casu Principes sacrilegii corā Deo nequaquam absolvuntur. Fit etiam, ut Pontifices dominandi libidine depravati, seq; servos esse obliti, *dicant in cordibus suis, Moram facit Dominus meus venire, & incipiant conservos suos percutere* sive injuriis afficere, *manducentq; & bibant cum ebriosis* (Matth. 24.) id est, Ecclesiarum facultates, quæ sunt pauperū patrimonia, cum caris suis abliguriant, ut multis hominū millibus fame pereuntibus profundi & inexsaturabiles paucorum ventres Romæ distendantur: quod & Christus futurum præsignificavit, & opere impleri multa jam sæcula viderunt. Ita usu venit, quod ait Comicus *Mores perduxerunt leges in potestatē suam*, quodque est Sapient. 14. *Convalescente iniqua consuetudine hic error tanquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta, sive gentium simulacra*: qualia sunt Episcopi, *qui os habent & non loquuntur* (nec Verbum Dei prædicant) *oculos habent, & non vident* (cum tamen officiū eorum sit *videre visiones* seu sacras literas, Isai. 29. & *diligenter agnoscere vultū pecoris sui, & considerare greges suos* Prover. 27. *aures habent, & non audiunt* (nec sapientum monita, nec *pauperes vociferātes, quibus non est adiutor*, Iob. 29. *nares habent & non odorant* (eoque fit, ut Jesuitarum consuetudine non indelectentur, qui

Sed Spiritus sanctus contrarium docet.

Nec refert quod sæpè tales translationes fiant.

Pontifices enim vel circumvēti vel necessitate aut publica utilitate moti leges solvunt

Vel etiā potestate abutuntur.

Vitiosus ac iniquus mos nunquā peccato vacat.

Qualis mos est quod Episcopi sint similes Idolis.

se tamen allii ulpicique pleniores esse, quam Romanos remiges, & nauteam hircumq; ab aliis sapere, hoc est, in orbe universo invisos & infames esse ultro confitentur) *manus habent, & non palpant* (adeoq; nihil boni operis faciunt) *pedes habent, & non ambulant* (non *currunt viam mandatorum Dei*, Psal.118. nec *ante oves vadunt, exemplum bonorum operum in omnibus se ipsos præbentes*, Johan.10. Tit.2.) *nec clamant in gutture suo* (ac velut *Idola Regibus nec benedicunt, nec maledicunt*, Baruc.6. sed quicquid libeat, agere eos sinunt) *Similes illis sunt qui faciunt ea* (Psal.113.) id est, nullo genere meliores, qui sua vel electione, vel confirmatione ejus notæ Pastores Christi gregibus præficiunt. An erga quia jam more fit, ut tales subrogentur Episcopi, hinc Jesuitæ cogent & efficient, gravissimo vacare peccato sive ipsos, sive eorum suffragatores & confirmatores? Quanto Religioso homine, de Societate præsertim Jesu gloriante foret dignius, si velut tuba exaltarent vocem suam, nec istas modo vitii probrique plenas ineptissimorum hominum electiones & comprobationes, sed et ã sacrilegas Monasteriorum profanationes translatitio & obsoleto illo Commendarũ & Administrationum schemate opertas, jamq; non semel sacrorum Conciliorum & Pontificum decretis notatas, damnatas ac vetitas propheticorum oraculorum fulmine sic percellerent? *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescã. Ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio & virtute, ut annunciem Jacob scelus suum, & Israel peccatum suum: Audite hoc Principes domus Jacob, qui abominamini judiciũ, & omnia recta pervertitis: qui ædificatis Sion in sanguinibus, Jerusalem in iniquitate: qui odio habetis bonum, & diligitis malum. Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit.* Isai.62. Mich.3. *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia* (aut morem eorum iniquũ) *custodiatis*, Ezech.20. *Ne sequamini turbam ad faciendum malum, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam* Exod.23. Matth.7. *Ne quæratis vobis comites ad suppliciũ nec gaudeatis: quia plures inveneritis. Non enim propterea*

Contra quos õnes Religiosi velut tubã debẽt exaltare vocem suam.

Sicut veri prophetæ fecerunt.

Cõsuetudo & exẽpla prava aliorum neminem excusant.

pterea minus ardebitis, quia cum multis ardebitis S. Augustin. homil. 50. de Pœnitent.

CAPUT XLIX.

PAg. 21. *Justas esse causas Monasteriorum fundationes in meliores usus convertendi, jam Pontifex, Cæsar, Episcopi, Principes judicarunt & verbis & factis. Data sunt Monasteria in belli sumptus, data MULTA Episcopis, data ad seminaria, data Parochiis.*

Jesuitæ prædicãt multa Monasteria à Cæsare alio esse trãslata.

Suprà Cæsaris verba ex complutibus ejus literis recitavi, quibus judicat, se salvo Ecclesiarum Advocati officio salvoq; jurejurando, quo se Imperii Ordinibus obstrinxit, nec ipsum Monasteria in alios usus posse convertere, nec Pontifici, ut id faciat, permittere. Et Pontifex, respondit, se istam ejus voluntatem ratam & gratam habere, nihilque Romæ contra tentatũ iri. Ex quo certi sumus, eos ita judicasse, nullas esse Monasteriorum alio convertendi causas, & sacramenti religionem Cæsari obstare, ne adversus eorum qui Monasteria condiderunt, sanctiones quicquam statuere de illis possit, Cui eorum sentẽtiæ qui subscribunt, simul illud sentiunt, quod Filiutii Jesuitæ verbis supra ostensum est, *Pontificem & Cæsarem tam ex officio, quam quasi ex contractu cum ijs, qui Ecclesiæ bona sua reliquerũt, obligatos esse lege divina & naturali tam illis, quam ijs, in quorum emolumentum relicta sunt ea non alienare: & si contrarium fiat, eos injuriam facere Fundatoribus, lædere utilitatem publicam cultumq; Religionis: facere etiam injuriam successoribus Religiosorum, & ex justitia teneri reparare id, quod interest, tã in fama & existimatione, quam in bonis temporalibus:* Atque hoc consentaneum esse communi Theologorum & Jurisconsultorum atque etiam primariorum Jesuitarum sententiæ in Astro inexstincto quæst. 3. num. 4. & 5. accuratè demonstratur. Verum tamen si ita est, ut hic Jesuitæ jactant, ut Imperator se de justissima sententia, ipsi etiã Pontifici probata, Confessarii sui artibus & dolis demoveri passus aliter fecerit, quam juratus fuerat, quamq; se facere debere & velle tot publicis privatisque tabulis fidem firmaverat, non est cur causam mutatæ ejus fortunæ tantarũque calamitatum, quæ ipsi posteà omnibusque Germaniæ Catholicis

Etsi Cæsar agnovit, nullas esse ejus rei justas causas.

Itaq; minime mirandum ejus fortu-

nā fuisse mutatā. Quem eventum ex Sedechiæ regis exemplo augurari sibi poterat.

tholicis incubuerūt, longiꝰ arcessamus. Quod enim Sedechiæ Regi Judæ & Principibus ejus Ierem. 34. & 37. contigisse discimus, *in figura factum est nostri, scriptum est autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt*, docente Apostolo 1. Corint. 10. Illi gratam quasi voluntatē suam Deo testatam facientes, quod Chaldæorum exercitus soluta Hierosolymæ obsidione discessisset, *conversi erant, & fecerant quod rectum erat in oculis Dei, & inierant pactum in conspectu Dei in tēplo ejus, ut unusquisque servos & ancillas Hebræi generis manumitteret, ac nequaquā dominaretur eis, & dimiserant eos liberos. Sed conversi deinceps retraxerunt servos & ancillas quos dimiserant liberos, & subjugaverunt sibi in famulos & famulas.* Lucrū quod eis ista sententiæ & propositi mutatio mox attulit, ista Dei comminatione continetur: *Regem & Principes ejus & sacerdotes, & omnem populum, qui prævaricati sunt fœdꝰ meum & reduxerunt servos & ancillas suas: dabo eos in manus inimicorū suorum: Et reducam Chaldæos qui recesserūt à vobis, & præliabūtur adversus civitatem hanc. Sed etiamsi percusseritis omnem exercitum Chaldæorum, & derelicti ex eis fuerint aliqui vulnerati, singuli de tentorio suo consurgent, & capient hanc civitatem & incendent eam igni. Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.* Eat nunc aliquis & miretur, cur Cęsar justissimi propositi Iesuitarū suorum impulsu mutati, totq; Monasteriorum invitis divinis & humanis legibus alio translatorum hoc nunc precium ferat, ut domi suę inimicos Reges ac Principes summa imis miscere, ferro & flamma grassari, omnia denique ex libidine agere videat, ac neque in servis suis quicquam fidei inveniat, omnisque ejus fortuna divino nudata præsidio ac propemodum solo arundineo Hispanorum baculo innixa tenui filo pendere videatur.

Caput L.

PAg. 14. *Ordines Monastici honori sibi ducunt, si ex suo corpore Religiosi ad Episcopatus assumantur, si quædam Monasteria in Episcopatus evehantur: nec intentionem fundatorum, nec jura*

Ordinis

Ordinis objectant. Cur igitur ægrè ferrent, quædam Monasteria Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis credere?

Habent Monachi causam gaudendi, nec tam sibi, quam populis gratulandi, si qui ex Monasteriis ad Episcopatum vocẽtur, cum Monasteria demum vera sint Episcoporũ seminaria, in quibus homines ea discunt & facere assuescunt, quæ Episcopos præstare oportet, si se & alios salvos cupiant. *Episcopum* quippe *oportet esse Doctorem, Sacerdotem, Hospitalem,* Humilitatis magistrum, *egentem & multos locupletantem,* sive ad victum necessariis donantem, *alimentis & quibus tegatur contentum, patientem, mansuetum, omnibꝰ* denique *exemplum bonorum operum,* 1. Timoth. 3. & 6. & 2. Timoth. 2. Tit. 2. & 2. Corinth. 6. Quomodo vero tenuerit, qui nunquam fuerit in schola, in qua talia verbis & exemplis docentur? quomodo erit *scriba* à Deo *Doctus ad regnum cœlorum, qui de sacræ* Scripturæ *thesauro proferre possit nova & vetera,* si non multis annis *voluntas ejꝰ fuit in lege Domini ut in ea meditaretur die ac nocte?* quomodo magnam, raram & difficilem illã virtutem *Humilitatis honoratæ* exercebit, cui quotidiana Humilitatis præcepta, exempla, adjumenta & exercitia, quæ extra Monasteria nusquam habentur, nunquam contigerunt? Abesse ergo non poterit, quin suo exemplo verum faciat illud Psalmi. 49 *Homo cũ in honore esset, non intellexit: Comparatꝰ est jumentis insipientibus & similis factus est illis:* quomodo verò faciet Miraculũ illud grande, quo Episcopos testimonia Dei oportet reddere credibilia, ut *sciat* simul *abundare & penuriam pati* (Philip. 4.) *fortitudinem gentiũ devorare,* seu superare, *& in divitiis esse admirabilem* (Isai. 61.) *esse divitem, & post aurum non abire nec mala facere, cum possit,* sed facere ut *eleemosynas suas enarret Ecclesia sanctorum.* Eccl. 31. Ista omnia præstare est *facere mirabilia in vita sua,* & divinæ potentiæ dare specimen, quod multo majoris momẽti esse ad Evangelium hominibus persuadendum, quam multorũ mortuorum resuscitationem, disertim S. Chrysostomus affirmat Homil. 46. in Matth. Atque hac ipsa de causa Spiritus Sanctus in pluribus Conciliis Episcopos non aliunde legi jussit, quam ex Be-

Monasteria sunt vera Episcoporum seminaria.

In quibꝰ discũtur & exercẽtur virtutes Episcopo necessariæ.

Episcopꝰ debet scire nova & vetera.

Debet exhibere Humilitatem in honore.

Et paupertatem in abundantia.

Quæ sunt Miracula, quæ Episcopꝰ facere tenetur.

Cõciliorũ decretum.

ut Episcopi sumantur ex Monasteriis Benedictinis. Ubi duæ illæ virtutes verbo & exemplo docentur.

ex Benedictinorum Monasteriis: quoniã cum ex formula vivunt sanctique Patris sui præscriptum custodiunt, omnem vitam in sacrarum literarũ meditatione consumunt, & tam Humilitatem, quam Paupertatem copiosam & opulentam, in alendis egentibus & hospitibus suscipiendis occupatam, exẽplo, usu & exercitatione sibi familiarem facilemque reddunt: id quod tant9 pontificum, Cardinalium, Episcoporum & Abbatum numerus testatũ facit, quos nec honores, nec opes, quibus calcandis tanto tẽpore adsueti fuerant, depravare potuerunt, quin cum ob alia singularium virtutum exempla, tum præcipue ob Humilitatẽ honore & imperio affectam, & Paupertatem opulentam ac beneficam multosque locupletantẽ beatis Divorum ordinibus Ecclesiæ decreto adscribi mererẽtur. Quid ni ergo Monachi sibi honorificum, populis vero salutare ducant, si quos Deus ex medio ipsorum ad animarum regimẽ evocet, ut quas diuturno studio labore & exercitio sibi compararunt virtutes eas jam *super cãdelabro positi omnib9, qui in Dei domo sunt lucere* sinant, *ut videant homines opera eorum bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est*? Matth. 5 Contra ea justissimam dolendi ac populi sortem deplorandi causã habent, cum Episcopos ex suilibus, aut porcorum caulis sive Haris legi vident, *qui nutriti in croceis ãplexantur stercora* (Thrẽ. 4.) hoc est; molliter educati & honorari assueti, *hujus mundi lucra*, honores, opes & voluptates adamant, quæ tamen *arbitrari debuissent ut stercora propter eminentẽ scientiam Christi utq; Christum lucrifacerẽt* (Phil. 3.) quod Pauli imitatione Monachi faciunt, seque Christo dignos præbent milites, de quibus prædictum fuit Zach. 9 & 10. *Erunt quasi fortes, aurum conculcantes ut lutum platearum in prælio: & bellabunt* (seu triumphabũt) *quia Domin9 cum eis* (in quo eos confortante omnia possunt, in honore præstare Humilitatem, & in abundantia Paupertatem) *& confundentur adscensores equorum:* quales sunt Episcopi pedestrem Christi militiam, sive humilitatis & paupertatis exercitia aspernati, & equis vehi soliti, hoc est, *in sublime se attollẽtes quodque altum est hominibus* appetentes, honores puta & opes

Dolendũ est Episcopos legi ex medio Porcorũ. Stercora amplexantium.

Episcopi Christo pedibus, nõ equo militare debent.

opes(Luc.12.& 16.)qui *contenti non sunt alimentis & quibus tegantur, sed volunt fieri divites, ex eoq; incidũt in tentationem & laqueos Diaboli* 1.Tim.6. Tales non sunt *arbores fructiferæ in domo Dei*(Psal.51.)*non olea cum pinguedine, non ficus cum dulcedine, non vitis cum liquore Deum & homines lætificante*, sed sunt infelix lignum, *Rhamnus* cum spinis duris & acutis, quæ Christo interprete sunt *fallacia divitiarum solicitudo sæculi & Concupiscentia* sive Avaritia, Ambitio & Voluptates vitæ, Matth.13. Cũ ergo tales Rhamnos *reliqua ligna super se Reges constituunt, ut sub umbra eorum requiescant*, nec in vita sua Epicuri porco digna ab eis inquietentur, ibi enim vero usu venit, ut *egrediatur ignis de rhamno, & cum ipsum, tũ cedros Libani devoret*. Judic.9.

Aliter non sunt arbores fructiferæ, sed Rhamni. Unde egressus ignis ipsos & alios devorat.

CAPUT LI.

NEc vero minor aut diversa Monachis gaudendi causa est, si eorum Monasteria Episcopat9 honore exaltentur, ut nimirum & ex ipsorum collegio lectus Abbas idem sit populi Episcopus: quales abhinc sexcentos annos omnes fere toti9 Europę Episcopos fuisse, & plerosque ingentium meritorũ causa inter Divos adscriptitios sive Indigetes numerari constat. Nec enim id vel conditorum voluntati refragatur, vel jura Ordinis ulla ex parte imminuit: quod longe secus est, si Monasterium desinat esse Monasterium, res Chalcedonensis Concilii Canone interdicta. Ac propterea Innocentius III. nec honorem Ecclesiæ nec divini cultus amplificationem satis justam esse causam censuit, cur ex Monasterio Pontifex Episcopatum facere possit: ut omnibus appareat, quanto min9 causæ sit, cur Monasteria in Ludimagistrorum domicilia aut Gymnasia convertãtur. Ipsa Pontificis verba sunt in epistola ad Gulielmum Cardinalem Rhemensem Archiepiscopum: *Pervenit ad audientiam nostram, quod ad ampliationem divini cultus & honorem Ecclesiæ Gallicanæ in castro tuo Mosobin in Abbatia ejusdem castri disposuisti novum Episcopatum erigere. Nos ejus rei liberam tibi facultatẽ auctoritate Apostolica cõcedimus, ita tamen ut ab eodem Monasterio Monachi nullatenus excludantur: ne forte venire contra sanctiones Canonicas videremur, quibus providâ fuit deliberatione statutum, ut quæ SEMEL Deo dedicata sunt Monasteria, SEM-*

Abbates simul esse Episcopos nihil novi est.

Monasteria sẽper debent manere Monasteria.

Neq; ulla ex causa in aliud mutari.

Maximè quæ sunt Ordinis S. Benedicti.

PER maneat Monasteria: cū et hodie generaliter statuatur, ut ORDO Monastic9, qui in aliquo Monasterio secundum Benedicti Regulam dignoscitur institutus, PERPETVIS ibidem temporibus inviolabiter observetur. Sed aut fallor, aut Jesuitæ Innocentium leges ignorasse insimulabunt, qui nescierit, *neminem Fundatorum futuris Pontificib9 conditiones posuisse* (Placid. Discept. pag. 20.) & *Papam esse supra jus & extra jus esse omnia & super omnia & de potestate absoluta posse quicquid vult, & quamdiu vivit, posse mutare quadrata rotundis*: quod quamvis Canonum Interpretes intelligi velint *clave non errante, & de iis tantum, quæ juris sunt positivi*: Jesuitæ tamen Clavem nihil errare, nec min9 divini & naturalis juris legibus solutā esse Pontificis potestatem contendunt, si quid in iis mutari, aboleri, irritumq; fieri Societati ipsorum expediat. Ea quippe *Extraordinaria est causa* quæ Pontificem omnis divini humaniq; juris obligatione liberat, atque ipsos Indigetes seu beatorum hominum spiritus in cœlo regnantes nutui ejus ditionique subjicit. Quod autem plus satis causæ habeant Monachorum Ordines, cur graviter ferant hæreditates patrum suorum Cardinalibus & Episcopis commēdari, sive administrandas committi, Monasteria nefas fuerit spiritui sancto non credere, cujus ea de re judicium habemus in Lateran. Concil. sub Leone X. totidem verbis declaratum: *Quoniam ex Commendis Monasteriorū Monasteria ipsa tā in spiritualibus, quam in temporalibus graviter læduntur quippe quorum ædificia partim Cōmendariorum negligētia, partim avaritia vel incuria collabuntur & indies divinus cult9 in eis magis deminuitur: volumus & SANCIMVS, ut cum illa per obitum Abbatum vacuerint nullo modo poßint commendari: sed de persona idonea eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates prout decet præfuturi sint.* Idem ipsum Tridentina synodo sancitum videmus. Et Clemens V. in quadam Constitutione, quæ in Canonum codice legitur, sibi velut oculato testi credere omnes postulat, istas Monasteriorum Commendationes non modo nihil utilitatis illis afferre, sed etiam cum ipsis, tum multorum animab9 & corporibus, tum deniq; Romanæ Ecclesiæ *ad noxam redundare*, ac propterea bonæ conscientiæ Pontificem non modo nullum

Jesuitæ Papam hortātur violare sacros Canones. Dicunt eum non posse errare si Societatis causa cōtra Canones faciat.

Imo ipsos sanctos in cœlo suā voluntatem Pontifici subjicere.

Spiritus sanctus prohibuit Monasteria dari cuiquā in Commendam.

Quia id maximorum malorū causa sit.

nullum Monasterium *sub Commendæ, Curæ, Custodiæ aut Administrationis titulo sive perpetuo, sive ad certi temporis spatiū cuiquam posse committere*, sed etiam debere *omnes* talium Commēdarum *provisiones cassare, annullare & decernere, ut de cætero non habeant aliquam roboris firmitatem.* Et adhuc quærere Jesuitæ audent, *Cur ægre ferrent Ordines Monasteria eorum Cardinalibus in Commēdam dari, aut Episcoporum mensis incorporari, aut in Societatis Collegia converti?* Quid ergo futurum putabim9, si unquam quemquam hiulcę istius gentis & alienas hęreditates esurientis lupi instar inhiātis Pōtificatu potiri contingeret? Nempe passim triste illud carmen exaudiretur: *Veteres migrate coloni.* Vitelliani gregis Pontifex Iulianum Apostatam nobis redderet, nec min9 quam ille falsus inveniri vellet. Et sicut ille Christianos monebat, ut aures eorum illis Christi verbis assiduè personarent, *Beati pauperes*: similiter ipse hanc Placidæ Disceptationis cātilenam Monachis cantaret: *Viri Religiosi ita animo comparati esse debent, ut de Rapina bonorum suorum gaudeant.* Sed hoc Deus omen obruet, atque *in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos Ignis. Fructum eorum de terra perdet, & semē eorum de filiis hominum. Cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire,* Psal. 20.

Væ Monachis, si quis unquam Jesuita fieret Pontifex. Ille enim imitaretur Julianum Apostatā. Et Monachos bonis spoliatos juberet gaudere.

Caput LII.

Pag. 34. *Episcopi gravia dāna passi sunt, æs alienū contraxerūt. Ipsi auxilio Monasteriorū vacantium egent, petūt & accipiunt.*

Fortassis autem non min9 verum est, non neminem eorum à subjecto populo & à Diœcesis suæ Abbatibus ad belli pro Religione suscepti & gesti impensas plus exegisse, quam contulisse: æs autē alienum non alio magis nomine contractum habere, quam quod profundum Societatis ventrem, *qui nunquā dicit, sufficit,* quantiscunque jacturis expleri à se posse perperam persuasum haberet, nec min9 dapsiliter & profusè sumt9 faceret, quam si immortale sibi aurum foret, ita ut impensas cum fructibus commetiri parum meminisset. Quanto ergo æquius fuerat Episcopos Collegiorum Jesuiticorum, quam Monasteriorum compotes fieri, cum Jesuitarum maximè causa rē confregerint: Haud etiam scio, quam bene nonnulli Monaste-

Episcopi à Monasteriis adjuti ad tolerandas belli impensas. Quidam opes suas Jesuitarum causa prodegerunt.

Quibusdam Monasteria obtinuisse pessimè vertit.

ria petiisse & accepisse verterit: ne fortè in eis oraculum illud Jerem. 12. opere impletum fuerit: *Pastores multi demoliti sunt Vineam meam, conculcaverũt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis* (*Illustrem* verò *Christi portionem esse Monasteria, & Pastores* sive Episcopos *ea servili opera mancipare, eorumque jura usurpare velle* Concilii V. Toletani Patres Can. 51. conqueruntur, quanto vero cũ pretio maloque suo id illi faciant, sic porro Propheta exsequitur) *Seminaverunt triticum, & spinas messuerunt: Hæreditatem acceperũt & non eis proderit. Hæc dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos* (nemo autem ęquè Deo vicinus & conjunctus est atq; Pastor, ejus vices gerens, velut ipse Zach. 13. docet: *Framea suscitate super Pastorem meum & super virum cohærentem mihi*) *qui tangunt Hæreditatem quam distribui populo meo* (cum facultates Monasteriorum sint patrimonia pauperum ut S. Bernardus ait) *Ecce ego evellam eos de terra sua, & domum Juda evellã de medio eorum: super omnes vias deserti venerunt vastatores quia gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus, & non est pax universæ carni.* Hæc si plerisq; Germaniæ Episcopis usu venisse ante oculos est ac paret, si verum est, quod hic Jesuitæ prædicant eos tetigisse Hæreditatem Christi, quam pauperibus distribuerat, sive Monasteria in Commendam aut meritis suis incorporanda accepisse: an dubitabimus quin Jesuitæ sacrilegiorum auctores & consultores fundi Germanici calamitas & capitalis Reipub. pestis ac pernicies censeri debeant?

Vt ipsis & patriæ vastatores Deo & gladium immitteret.

Cujus rei gratiam Iesuitis debere se noverint.

Caput LIII.

Jesuitæ Monasteria faciunt Mysorum prædam.

PAg. 45. *Ex iis*, quæ hoc libro toto disputavimus, *concluditur Monasteria diversi Ordinis posse Ordinibus militaribus tribui: posse Episcopis vel ad tempus dari, vel incorporari ad solvendum æs alienum* (in magnificis Jesuitarum ædificationibus, inque Ludorum scenicorum apparatu impendiorum collatione adjuvandis maxime contractum) *posse eadẽ ratione* (sive eisdem de causis) *sæcularibus Principibus ad tempus dari: posse quædam in seminaria, scholas* (Jesuitarum) *collegia, hospitalia converti.*

Hoc enimvero est utilitatis suæ causa, ut multa scilicet Mona-

naste-

nasteria avidissimis Iesuitarum faucibꝰ ingerantur, Cardinales, Episcopos, Principes & Milites in prædæ partem advocare, & ad coëundam secum sacrilegii societatem cohortari ac piaculares facere. Quis jam Lutherum miretur eodem plane vocis calamique classico Principes ac Civitates ad occupanda, devoranda, inque succum & sanguinem convertenda Ecclesiarum ac Monasteriorum bona excitasse, cum ipsos Principum & Episcoporum Confessarios Jesuitas, qui adhuc locorum persuadere hominibus contenderant, sibi Monasteria invitis obtrudi, seque non nisi coactos & dolentes ea accipere, nunc posito pudore palam libris editis impias istas, nefarias ac sacrilegas Monasteriorum profanationes velut nō modo permissas, sed etiam necessarias atque Ecclesiæ imprimis conducibiles Principibus & Episcopis commendare & consulere videamus? Quorum consilium quantum impietatis habeat, quantumq; cum ipsis, tum omnibus eo utentibus, tum denique regnis & populis detrimentum, ne dicam exitium & interitum importaturum merito metuatur, ex Dei cum Verbo, tum opere à nobis judicari potest. Verbum ejus est Principes à societate hominum S. Benedicti hæreditatem inhiantium hoc modo deterrentis Proverb. 1. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, veni nobiscum, insidiemur sanguini* (insidiosa & mendaci narratione Pontificem circumveniamus, ut cum venia ejus Monasteriorum opes, quæ sūt panis egentium, sanguis & vita pauperum nostri juris faciamus) *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut infernus viventem & integrum, quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus: implebimus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum. Marsupium unum sit omnium nostrū. Fili mi, ne ambules cum eis. Pedes enim illorum* (non *calceati in præparationem Evangelii pacis*, sed per scruposam & spinosam avaritiæ viam) *ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem* (quod faciunt Monasteriorum vectigalia pauperibus alendis consecrata & Monachorum fidei credita adversis conditorum voluntatibus domos suas advertendo: nam *Panis egētium est vita pauperum, qui defraudat illum homo sanguinis est*,

Jesuitæ eodē quo Lutherus classico Principes ad destruenda & sibi vindicanda monasteria excitant.

Eorum suasoriā esse impiam & reipubl. perniciosam docetur Dei Verbo.

sive homicida, Eccles.34.) *Ipsi quoq; contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animasq; suas, quia semitæ omnis avari animas possidentium rapiunt*, sive in gehēnam abducunt, Proverb.20. *Ruina est homini devorare Sanctos, & post vota retractare*, id est, illi ruinam & excidium domibus suis parant, qui bona Sanctis cœlitibus consecrata devorant, quæque DEO pii homines ex voto obtulerunt, ea in alios usꝰ convertunt. Psalm.82. *Super populum tuum malignaverunt cōsilium*, (id est, in populi fraudem, cui sacrilega crudelitate surripitur, quicquid Monasteriis demitur) *& cogitaverunt adversos sanctos tuos* (quorum honori Monasteria fuerunt consecrata) *Dixerunt, Venite, & disperdamꝰ eos de gente, et nō memoretur nomen Israel ultra* (ut scilicet irritum fiat, ipsoq; exitu vanitatis arguatur oraculum Isaac de S. Benedicto Monachorum Patriarcha, cujus Israel sive Jacob figura fuit, Genes. 27. *Benedixi ei, & erit Benedictus. Omnes fratres ejus servituti illius subjugavi: qui maledixerit ei, sit ille maledictus: & benedixerit ei, benedictionibus repleatur*) *Omnes Principes eorum*, *qui* (à Jesuitis in sacrilegii consortium illecti) *dixerunt, Hæreditate possideamus sanctuariū DEI fient ut stercus terræ: implebuntur facies eorum ignominiâ, confundentur & peribunt.* Jeremiæ cap.30. Electam te *vocaverunt Sion* (qua voce *Visionem* seu *Contemplationem* significari Augustinus testatur in Psal.64. ut DEI familiam rerum divinarum Contemplationi vacantem compellari intelligamus) *Omnes qui comedunt te, devorabuntur, & universi hostes tui in captivitatem ducentur: & qui te vastant, vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam.*

Idem docetur Dei opere.

CAPUT LIV.

Exemplum sacrilegi Achan.

OPus DEI fuit sacrilegi Achan supplicium Jos.6.& 7. Cum enim DEUS ex spoliis urbis Jericho *Omne aurum, argentum & æs anathema fieri*, id est, sibi consecrari *inque thesauris suis reponi* jussisset, sicque populum monuisset: *Cavete, ne de his quippiā cōtingatis, & sitis prævaricationis rei & sub peccato sint atq; turbentur omnia castra Israel*, sive universus populus: Achan concupiscentia tentatus inde auri & argenti pauxillum abstulit & abscondit. Quo ejus sacrilegio DEUS irritatus, ut populus suus ab ho-

ab hostib9 in fugam ageretur, nec pauci corruerent, permisit. Cujus rei causam exquirenti Josuæ respondit: *Pollut9 est populus anathemate, nec poterit stare ante hostes suos, eosq; fugiet. Anathema est in medio tui Israel. Non ego ero ultra vobiscum, donec deleatur ex vobis, qui hoc contaminatus est scelere.* Quid ergo jã habeãt Germaniȩ Catholici, quod opis divinȩ spem eis afferat, cum manifeste multiplici anathemate sint polluti, nisi conterant eos, qui suasoriis suis tanti eos sceleris alligarũt? Opus etiã DEI futura erat urbis Hierosolymæ & regni Judaici eversio ipsiusque Templi excidium, nisi Rex Ezechias & Principes ej9 Michææ monitu cum aliorum peccatorum suorum, tum nominatim hujus pœnitentiã egissent, quod eis à DEO sic exprobratum supra retulim9: *Sacerdotes in mercede docebant, & Prophetæ in pecunia divinabant & seducebant populum meum pacem* regi & regno *prædicantes, si dedissent in ore eorũ quippiam* (prægrandes alienarum hȩreditatum bolos) *mulieres populi mei* (familias religiosas) *ejecistis de domo deliciarum suarum: à parvulis* (seu novitiis) *earum tulistis laudem meã in perpetuum* (pro psalmodia vagitus & ejulatus puerorũ virgis vapulantium in Monasteria inducentes) *Surgite & ite, quia non habetis hic requiem,* cum Monachos sacrasque Virgines inquietaveritis. DEI similiter opus fuit Hispanorum ex civitatibus domibusque suis exterminatio, gravissimumque Saracenicæ servitutis jugum eorum cervicibus impositum, velut locuples testis est Carol9 Magn9 Imperator, qui ætati qua id cõtigit suppar ac prope ȩqualis fuit, cujus capitulorum lib. 7. verba sunt: *Novimus multa Regna & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resq; earum alienaverunt, & Militib9 loco stipendij dederũt. Quapropter nec Fortes in bello, nec in fide stabiles fuerũt* (sed inciderũt in hæreses) *nec victores exstiterunt sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaq; & regiones, & quod pejus est, regna cœlestia perdiderunt, atq; propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent. Qualiter Dominus talium criminum ultrices pœnas per Saracenos & alios populos venire permiserit, cunctis earũ gesta legentib9 liquet, & nisi nos ab his caveamus, similia nobis supervenire non dubitamus.* Simile Dei opus fuit in-

Exemplum Regis Ezechiæ.

Exemplum Hispaniæ sub Saracenorum jugum missæ.

Quod Dei opus & sacrilegiorum pœnam fuisse Carolus Magnus testatur.

gens

Exemplum Caroli Crassi.

gens Caroli Crassi Imp. & universæ Germaniæ ac Galliæ calamitas, ipsiusq; Imperii divisio, & à Carolinga domo ad Witikindæam translatio. Qua de re Helmoldi verba sunt Chronici Sclavorum lib. I. cap. 7. *Carolus Roma rediens cum grandi exercitu Nordmannos juxta Mosam fluviū apprehendit: quos obsidione coarctans, quintodecimo demum die ad deditionem cōpulit. Captos ergo Tyrannos Danorum non ea qua decuit severitate hostes DEI ultus est, sed ad sui dejectionem & gravem Ecclesiæ ruinam parcēs impiis accepto ab eis jurejurando & fœderis conditione amplissimè donatos abire permisit. At illi Regis inertiam irridētes, ubi noxia libertate potiti sunt, rursus in unum conglobati tantas strages* (in Imperio) *dederunt, ut crudelitas modum excesserit. Quid multa? Vrbes cum civibus, Episcopi cum toto grege simul obruti sunt: Ecclesiæ illustres cum fidelium caterva simul incēsæ sunt. Quamobrē Carolo accusato in Curia* (id est, in Comitiis Imperii) *& ob stultitiā regno fuit depositus.* Qua de re in Annalibus ita scribit: *Regni optimates cernentes à Carolo Imperatore non modo vires corporis, verum etiam animi sensus diffugere, Arnolfum ultro in regnū attrahunt, & subito facta conspiratione ab Imperatore deficiētes ad Arnolfum certatim transeūt, ita ut in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia humanitatis impenderet* (mensa nempe instruenda, lecto sternendo, aqua de puteo petenda) *cibus tamen & potus ex Moguntini Episcopi sumtibus administrabatur. Erat res spectaculo digna, & æstimatione sortis humanæ mirabilis. Mittit ergo Carolus ad Arnolfum ex Imperatore effectus egenus; & desperatis rebus, non de Imperii dignitate, sed de victu quotidiano cogitans, tantum alimētorum copiam ad subsidium vitæ præsentis SVPPLEX exposcit. Miseranda rerum facies, videre Imperatorē opulentissimū* (hæreditario jure Germaniæ, Galliæ, Italiæ & bonæ Hispaniarū partis dominum, qui arbitratu suo Imperii Principatus dare posset, rursumq; eripere *non solum fortunæ ornamētis destitutum, verum etiam humanæ opis egentem. Concessit autē Arnolfus nonnullos Fiscos in Alemania, unde ei alimonia præberetur.* Quantū porrò detrimenti mox ipso defuncto Imperii Romani respublica ceperit, in Annalibus Fuldensibus hoc modo exponitur. *Ao. 888. Mortuo Carolo Reguli in Europa & regno Caroli*

Cujus culpa Dani & Sueci omnem Germaniam vastarunt.

Ipséq; Imperio fuit privatus

Et ab omnibus famulis desertus.

Supplex victum mēdicat.

roli sui patruelis(id est, in Gallia)*excrevere. Nam Berengario filio Eberhardi in Italia se Regem fecit, Rudolfus autem filius Conradi superiorem Burgundiam apud se statuit regaliter obtinere. Inde itaq. Ludovicus filius Bosonis, & Uvito filius Lamberti Galliam Belgicam, necnon Provinciam prout Reges habere proposuerũt. Odo filius Rodberti usq. ad Ligerim fluvium & Aquitanicam provinciã sibi in usum usurpavit.* Jam tantarum non ipsius modo Caroli, sed etiam Germaniæ & Galliæ miseriarum, pręcipuè verò corruptorum Caroli cõsiliorum & imminutarum mentis virium non alia fuit causa quam unum solum S. Emmerami Monasterium Embriconi Ratisponensi Episcopo commendatum, sive in Commendam datum: cujus rei testem habemus ipsum Imperatorem Arnolfum, cujus Diploma Ratisponę exstat, in quo sic legitur: *Omnium successorum nostrorum magnitudo cognoscat, quod postquam patruus meus Carolus Imperator pro petitione Embriconis S. Emmerami Ecclesiam præstavit, NVNQVAM postea habuit victoriam, nec corporis & animi sanitatem usque ad finem vitæ suæ.* Eant nunc Imperator & Germaniæ Principes, & quærant, quis ille fuerit, qui omnem Imperii statum usque à fundamentis commoverit, Cæsaris consilia corruperit, & florentem ejus fortunam everterit, ingentes malorũ & mœrorum montes in omnes Germanię provincias invexerit, adeo deniq; rem redegerit, ut metus haud absit, ne nos quod factum prius fuit, iterum nunc fieri, & Caroli Crassi atque Imperii fatum à DEO instaurari videamus. Sed omen DEVS obruat, & in Jesuitas, omnium istorum malorum architectos, veramque fundi Christiani calamitatem quicquid offensi est convertat.

CAPUT LV.

QVartum infidelitatis Jesuiticæ erga Pontificem documentum est, Romanæ Curiæ doctrina Romæ propugnata, in Galliis autem oppugnata, & impietatis, sceleris ac pestilentiæ graviter ore & manu condemnata. Anno quippe. 1625. Romę librũ ediderunt à Patriarcha, cęterisq; Societatis totius primoribus approbatum, tanquam in quo nihil doceatur, nisi quod Catholicæ fidei per omnia congruat. Is ita inscribitur: *Antonij Sanctarelli de Societ. Jesu tractatus de Hæresi & de potestate*

Ipsoque mortuo regnum dividitur. Multaq. provinciæ ab eo deficiunt. Sibique novos Reges imponunt. Omnium illorum malorum causa fuit unum Monasterium Episcopo commendatum. Hinc Imperator & principes certi esse possũt Jesuitas omniũ Imperii calamitatum causam esse. Quartũ documẽtum infidelitatis Jesuitarũ erga Pontificem.

summi Pontificis. In eo vero leguntur sententiæ consentaneæ, quas multo prius Salmero, Gregorius de Valentia Bellarmino, Suarez, Sà, Richeomus, Heissius, & alii, velut *fidei dogmata, tenendas & credendas* libris editis docuerant. Videlicet, *Papæ ac Christi unum esse tribunal, Papam jus & potestatem habere in spiritualia simul & in omnia temporalia, & in eo de jure divino esse utramq; potestatem, nec eam modo in ædificationem,* sicut Apostolis data fuerat, *sed etiam in destructionem: adeoq; Papam etiam sine concilio posse Imperatores & Reges nō tantum propter Hæresin, schisma aut quodvis crimen populo intolerabile, sed etiam propter insufficientiam, quodq; personæ eorum sint inutiles regno privare, atque etiam interficiendos jubere, ac populos subjectos relaxato jurisjurandi vinculo potestati eorum eximere atque ab obedientiæ & fidei debito liberare, & ipsum regnum alteri Principi donare, & armis invadendum sibiq; subjugandum permittere: Regē à Papa sive Hæreticum, sive alias vitiosum aut inutilem judicatum, ac propterea per sententiam ejus velut superioris regni jure privatū, jam jus & auctoritatem imperandi amisisse, nec ultra Regem esse, sed Tyrannum, & à quovis de populo occidi posse: Clericos etiam nequaquam ulli Regum esse subditos, ac propterea nullum ab eis læsæ Majestatis crimen committi, etiamsi rebellionem in Reges moliantur & monitis atque exemplo populos rebellare, & obedientiam, fidelitatem, tributum, & omnia obsequia Principibus negare doceant: Apostolos Regibus de facto tantum, non etiam de jure subjectos fuisse.* Sed postquam Sanctarelli liber in Galliam allatus fuit, Parisiensis Academia, ac proprie Sorbonicum Theologorum Collegium, quod per octo jam sæcula Catholicæ fidei propugnaculum, istam Curiæ Romanæ & Societatis Jesuiticæ doctrinam atroci decreto publicè condemnavit & proscripsit, velut *exitialem ac pestilentem, meritoq; damnandam, aversandam, detestandam & abhorrendam, cum sit nova, falsa, erronea, Verbo Dei cōtraria, Pontificiæ dignitati odium concilians, schismati occasionem præbens, supremæ Regum auctoritati à Deo solo dependenti derogans, Principum infidelium & Hæreticorum conversionem impediens, pacis publicæ perturbativa, Regnorum, Statuum, Rerumque publicarum eversiva, subditos ab obedientia & subjectione a-*

Jesuitæ Pontifici prius utrumq; gladium tribuerant. Et potestatem etiam in destructionem. Ejus juri & libidini Reges omnes subjecerant.

Jesuitarū doctrinā istam Parisiensis Academia terribili sententia condemnat.

ne avocans; & ad factiones, rebelliones, seditiones & Principum parricidia excitans. Ejusdem verò sententiæ esse totam Ecclesiam Gallicanam paulò antè declaraverant testatumque fecerant *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi totusq; cœtus Ecclesiasticus in Comitiis generalibus Cleri Galliæ constitut9*, in censura libri Jesuitici, cuj9 titulus erat, *Admonitio ad Regem*, Lutetiæ publicata, ad XIII. Decemb. anni M.DC.XXV. ubi testantur, *Christianam Religionem de Auctoritate Regum longe alia proponere credenda*, non minus scilicet Christianis, quam paganis aut ethnicis Regibus, jus suum salvum esse oportere nec cuiquam fas esse obedientiam & FIDELITATEM negare PRINCIPI hæretico, nedum alioqui vitioso, multò minus inutili. *Lex* (inquiunt) *divina vetat, quod humana non permittit dum omnem fraudem atque contradictionem servis erga Dominos prohibet. Quid ergo si iniqui fuerint? Absit ut cujusquam impotentiam, libidinem & injustitiam probemus. Sed si sensum Scripturæ quæris, nulla ex parte rebellandi consilium habemus: salva Religione parendi præceptum habemus. Quamvis fortunas eripiat, libertatem tollat, servitio premat & quæcunque Deus Regem postulantibus futura denunciat, in suorum subditorum ruinam meditetur, tamen parendum est Regi, quantumvis dyscolo, quia Deus eum instituit: parendum est Domino, quantumvis molesto, quia Deus cum eum talem futurum prævideret, nihilominus præposuit. Regem ut parentem si bonus est, amare: si malus est, ex divinæ voluntatis decreto ferre debemus. Quid si Religionem ipsam expugnet, ferro sæviat, rursus ad martyrium fideles vocet? quantumvis Hæretici* (Jesuitæ puta, omnesq; aliter sentientes) *reclament, tamen si Evangelio acquiescere volumus, satius est fuso sanguine cœlestem victoriam reportare, quam educto gladio Christianæ patientiæ famam lædere*, (& iterum cum Petro gladium accipere, nec velle, ut Christus iterum in membris suis calicem bibat, quem illi Pater dedit) *Quam quidem nostram sententiam improbare nemo potest, nisi qui Christi præceptum simul & exemplum improbet; nisi Martyribus, cum rebellare possent, modestiæ gloriam eripiat, & crescenti Ecclesiæ ignaviam exprobrare velit, quod numero fortior ferrum Imperatoribus, quo sæviebant, non extorserit. Ea*

Idem facit tota Ecclesia Gallicana.

Catholica fides de obediētia debita Regib.

Etiam injustis.

Et fidei Catholicæ persecutorib9.

Heb. 10.

Patiētia nobis necessaria est Quam diu autē hæc lex obligabit: *donec*

siquidem est non Christianorum, sed Hæreticorum contumacia, qui vel levissimo metu Religionis (id est, cum primum suspicantur futurum, ut Rex Hæreticus vel excommunicatus liberum Catholicæ religionis exercitium nonnihil impediat) *ad arma concurrunt, leges calcant, jura violant, & à Deo ordinatæ potestati, qua possunt via resistunt* (omninoque suæ libertatis & utilitatis causa injuste agere, quam propter Christum imitandum & confitendum injustè pati malunt) *Christus autem jam tum natus, immo nascens, immo antequam nasceretur, ad Edictum Cæsaris advolavit, neq; denegavit obedientiam, cujus imperandi tradiderat: sub ejus Prætore quamvis innocens accusari non erubuit: judicium quantumvis iniquum patienter tulit: vim illatam, crucem oblatam, mortem denique non recusavit, quamvis in manu legiones Angelorum adessent: quamvis in sua morte videret in vitam omnium Christianorum sententiam ferri. Ecclesiæ priscos Annales revolvite, parem in Apostolis, parem in Discipulis patientiam invenietis, parem in Martyribus constantiam. Cum jam latè propagata fides esset ubiq;, qua patebat orbis Romanus, Christiani in carnificina crudelitatis ferro, flamma, belluis fidem probabant atq; patientiam: neque inter optimam conscientiam & iniquissimam fortunam constituti provocabant ad arma, quibꝰ sumtis numero pares exstitissent, & virtute superiores: cum urbes, insulas, municipia, castra ipsa, Senatum, forum implevissent, & omnes tam libenter ad cœlestem victoriam per supplicia properarent. Quare alias leges quam à Christiana disciplina profectas quærant qui satius esse putant rebellare, quam pati. Unde novum jus* (Religionis prætextu rebellandi) *è cœlo defluxit, ut credant nobis licere, quod Apostolis & Martyribus non licuit?* ut jam fas credatur, Regi baptizato suum in subjectos jus abrogare, quod Petro & Paulo adversus Neronem non licuit?) *an in fide propagata jus erit, quod in nascente & jam adulta nefas fuit? Nusquam Christianus aliud est: unum Evangelium, & idem Jesus. Qui aliter sentiunt* (ut Gregorius II. Gregorius VII. Bonifacius VIII.) *fidem in factionem convertunt, & ex aliena crudelitate sibi* (non Christo) *DOMINIUM* (temporale) *& gloriam quærunt. Non autem minorem injuriam Deo faciunt, potestatem de Regibus judicandi*

Qui venturus est, veniet. Apoc. 13. Hic est patientia & fides sanctorū. Hæreticorum est Religionis prætextu arma in Reges movere. Et malle iniustè facere, quā injuste pati. Contēpto exemplo Christi, Et Apostolorum & Martyrum. Christiani certe non sunt. Cum à primigenia Ecclesia fide desciverint. Quod hominibꝰ altū est affectantes.

quam

quam ipse sibi soli reservavit, ei praripientes, quam Regibus ipsis solius Dei judicio subjacentibus. Magnam etiam injuriam faciunt Fidei, qui eam putant salvam esse non posse, nisi Regum jus pereat, & gentium jura subvertantur. *Cum magna injuria Dei. Et Catholica fidei.*

CAPUT LVI.

Atque hæc est Ecclesiæ Gallicanæ & Parisiensium Theologorum ac Jurisconsultorum de suprema nullique in terris obnoxia Regum auctoritate, deque temporali Pontificis potestate sententia: perspicuis sanctorum Chrysostomi, Augustini, Gregorii Magni, Bernardi, aliorumque Patrum verbis consentanea: quam nec Ecclesia Romana unquam damnavit, nec quisquam Pontificum ea quæ Pater in cœlis non caro aut sanguis revelasset, sapientium & loquentium. Quid hic Jesuitas nostros consilii cepisse putabimus, cum doctrinam suam isto Parisiensis Academiæ & universi Cleri Gallicani decretorio stylo confossam, seque ad Hæreticorum gregem relegatos compererunt? Non modo fecerunt, quod est Chamæleontis, ut rerum sibi proximarum colores intuentibus reddant, sed etiam velut viri Sodomitis dignum erat, *peccatum suum prædicaverunt, nec absconderunt*, Isai. 3. Apertissimè quippe tulerunt, Societatis ingenium nihil aliud esse quam arundinem vento agitatam, ad omnemque gratiæ & offensæ humanæ auram mobile atque infidum esse, ita ut illa etiam, quæ Falsa, impia, nefaria & pestifera esse cum animis suis statuunt, ea nihilominus ad colligendam aut retinendam hominum benevolentiam, aut ad offensam potentium declinandam, voce ac stylo docere, ac tanquam fidei capita ad animarum salutem necessaria maximo ingeniorum certamine propugnare non dubitent. Vt enim legere est in capitibus sive *articulis interrogatoriis* Curiæ seu Parlamenti Parisiensis cum P. Cottoni Provincialis Societatis, aliorumque trium Jesuitarum responso, ad d. XIV. Martii anni M. DC. XXVI. cum eis delecti Senatores exprobrassent, quod Societatis Patriarcha Vitellius Sanctarelli librũ Romæ approbasset, responderunt illi, *se tantam ejus imprudentiam magnopere reprehendere atq; ex summis viribus incusare*, etsi hoc uno culpam ejus elevare conabantur, *quod aliter*

Ecclesiæ Gallicanæ sententia est coveniẽs sanctorũ Patrum sentẽtiæ.

Jesuitæ sunt chamæleõtes. Societas est arũdo vento agitata.

Quæ falsa & perniciosa judicat, aliis tanquam articulos fidei proponit credenda.

 facere

facere non potuerit, nisi ut probaret, quod Curiæ Romanæ placeret. Rogantibus deinde, idemne ipsum crederent, quod in Sanctarello Vitellius probasset. *Suam vero fidem ei ex toto contrariam esse* responderunt. *Sin autem Romæ essetis, quid faceretis? Idem nempe ipsum faceremus, quod qui ibi sunt, faciunt.* Quo audito quidam senatorum: *Aliam ergo*, inquit, *conscientiam Romæ habetis, aliam Lutetiæ. DEVS nos ab ejusmodi Confessariis custodiat.* Tandem cum collatis inter se capitibus aliquandiu consultassent, professi sunt, *eandem suam & Sorbonici Collegii esse sententiam, seque iis, quæ Domini de Clero censuissent subscripturos. Biduo* post tres articulos à Parlamento ipsis propositos subscripserunt, istos, puta.

Societas Jesuitica aliam Romæ, aliam Lutetiæ fidem & conscientiã habet. Parisiis Curiæ Romanæ doctrinã condemnat.

1. *Rex statum suum non nisi à Deo & gladio suo debet recognoscere.*
2. *Rex solum Deum, mortalem vero neminem, in regno suo superiorem agnoscit.*
3. *Papa non potest nec Regem, nec Regnum ejus supponere interdicto* (seu sacris interdicere) *nec subditis relaxare sacramentum fidelitatis ei debitæ propter quamcunq; causam & occasionem.*

Vt malitiosam & pestiferã.

Hoc amplius autem in subscriptione sua professi sunt, *se malitiosam & pestiferam de Regum auctoritate Sanctarelli doctrinam detestari, ac paratos esse diversam sententiam velut veram quacunque occasione vel sanguinis vitæque impensa confirmare.* Quis autem tã vacui capitis aut obesæ naris senatores illos esse credat, ut isti eorum professioni vel minimum fidei adjungere animum inducant: cum biduo antè tam nulla circuitione confitentes audissent, Patriarcham suum cum Romæ sit, necesse habere quod Curiæ placeat probare, seque si ibidem essent idem ipsum haud dubie facturos esse? Sed quicquid sit de eo, quod credunt, istud quidem certè planissime hinc apparet, eos Pontifici minimè fideles esse, sed auctoritatem ejus pro eo ac sibi expedire recteque in rem Societatis conducere judicant, alias super Reges extollere, alias vehementer imminuere & circumscribere, ut ei nec Anathematis & Interdicti jus in Reges concedant. Adeo verum est, quod ipsi de se prædicare solent,

Jesuitarũ inconstãtia in fide

lent, *Jesuita est omnis homo:* non quomodo de se Apostolus gloriatur, *Omnia omnibus factus sum, ut omnes facerem salvos:* cum ipsis hoc potius sit propositum, ut omnes faciant fatuos: qualem esse oportet, qui cum duplicitatis ac fraudulentiæ eorum tot videat opera ac testimonia, præcipuè verò ipsam eorum confessionem, adhuc tamen vel minime rei fidem habere illis audeat. Longe certe fieret ab eo sapientius, qui vel compertissimam veritatem ex ore Jesuitico profectam de mendacio suspectum habere inciperet: cum sicut ipsis gloriantibus *Jesuita est omnis homo,* similiter testante Dei spiritu *Omnis homo sit mendax:* quo exemplo senex ille Comicus de servo, quem mendacii manifestum prehenderat, facturum se autumat.

ergaPontificem. Jesuita est omnis homo.

sed omnis homo mendax.

Si illum solem mihi solem esse dixerit.
Ego Lunam credam esse & Noctem, qui nunc est Dies.

CAPUT LVII.

QVintum Infidelitatis eorum erga Pontificem & sedem Apostolicam documentum est, non jam aliqua Curiæ Deuterosis aut humana traditio, sed Ecclesiæ Romanæ doctrina ab omnibus Catholicis omni tempore & loco credita, cum sermonibus & libris, tum etiam factis multipliciter oppugnata, ut jam non magis Jesuitis & eorum in Hispania asseclis ac subscriptoribus, quam Germaniæ Protestantibus, Galliæ Hugonotis, aut Angliæ Puritanis, sacrosancta sit sedis Apostolicæ & successoris Petri auctoritas. Qua de re qui explorato quod verum est studet cognoscere, legat *Sedis Apostolicæ Censuram* adversus omnes Johannis Baptistæ Pozæ libros, qua manu, qua formis æneis descriptos: inspiciat etiam *Hæreseos Actionem*, quã summâ vir innocentiâ & singulari divinarum humanarumq; literarum scientia præditus Franciscus Roales non uni modò Pozæ, sed universæ etiam Societati non jam Jesu, sed Judæ palã in totius orbis conspectu intentavit, cujus etiam prosequendæ causa Romæ ad S. Inquisitionis Tribunal se stitit *cum obligatione ad talionem*, supplicium nempe in Hæreticos Constitutum capite persoluturus, nisi rebus maximè necessariis vincat planumque faciat, Jesuitas esse Hæreticos, quovis Ariano, Lutherano,

Quintũ documentum Infidelitatis Jesuitarum erga Pontificem. Ecclesiæ Romanæ doctrinã Catholicam multipliciter oppugnant. Id liquet ex sedis Apostolicæ censura. Et ex Roalis

Actione in Jesuitas. rano, Anabaptista aut Calviniano deteriores & pestilentiores. Vt autem de illorum ergaPontificem infidelitate quod dixi fiat manifestius, subtexam hic rerum capita, quæ in illa Roalis denunciatione diligentiorem Lectoris animadversionem mereri videntur. Tanquam.

Ejꝰ accusationis capita notabilia.

1. Poza libris editis jactat, se in Petra stare, nec à Pontifice in jus vocari aut cohiberi posse.

2. Sedis Apostolicæ & Generalium Conciliorum judicia in doctrinis & personis damnandis nulla & prava interdum fuisse, & fore.

3. Liberum esse præter & CONTRA sanctorum Patrum & Doctorum sententiam in Religionis doctrina innovare.

4. Poza pestiferas suas doctrinas lingua vulgari publicè docet, ac furtivis typis evulgat.

5. Plures in Hispania Principes, Episcopi, Prælati, Doctores, fœminæ & simpliciores Diabolicis Pozæ artibus in Hæresin sunt inducti.

6. Societas Pozam favore, plausu & auctoritate sua commendavit, & foro conscientiæ, sacris pulpitis & publicis cathedris præfecit, ut tanto facilius Hereses & novitates suas plurimis persuaderet.

7. Multi in Hispania falsa Pozæ scripta, & sacræ doctrinæ corruptelas incautè approbarunt & temeræ subscripserunt: & supremi Aulæ Magnates ei patrocinantur.

8. Omnia Pozæ scripta, & reliquorum Jesuitarum defensiones, approbationes, commendationes & plausus ad fidei Catholicæ destructionem tendunt, viamque ad omnem Hæresin, immo ad Atheismum, in Hispaniam aperiunt.

9. Roales observato Caritatis ordine superiores & amicos Pozæ privatim primo admonuit.

10. Deinde ipsum Pozam cum septem Sociis ad disputationem vocatum, coram pluribus Hispaniæ Magnatibus de Multiplici crimine falsi, & Læsæ Majestatis ac fidei publicæ ex libris ejus coarguit & convicit.

11. Istud Roalis officium sine fructu fuit ob Pozæ & Sociorum superbiam, fraudes, modosque agendi Diabolicos.

12. Roales

12. Roales Inquisitores, Nuncios Pontificis, Aulæ proceres, Cardinales, Episcopos, Prælatos, Doctores, Magistros, omnes denique publicè & privatim monuit, ut caverent à fermento Hæreticorum Jesuitarum, atque à falsis Doctoribus attenderent.

13. Roales perfecit, ne Poza à Tribunali Inquisitionis pro Qualificatore aut Censore admitteretur.

14. Inquisitio Hispanica Romanæ Inquisitionis censuram adversus Pozam noluit ratam habere, sed cum gravi scandalo & periculo Edicti Romani exsecutionem protraxit.

15. Jesuitæ quotidie insolentiores nec Papæ, nec Cardinalibus parcunt, sed eos accusant ut calumniatores, mendaces, Hæreticos, manifestos falsarios, & fidei Apostolicæ sedi debitæ proditores.

16. Poza Hæreticorum dogmata in Conciliis allegata dolo malo citat & obtrudit tanquam essent dogmata Conciliorum.

17. Idem Conciliorum doctrinam pro Hæreticorum erroribus damnat.

18. Idem innumera Conciliorum, Patrum & Doctorum, immo etiam sacræ scripturæ loca & sensa impudentissimè corumpit, falsat, hæreticè intorquet.

19. Idem aliter quam Ecclesia docet, aliter scientiarum instrumenta disponit, ordinem universæ scholæ confundit, totius Theologiæ locos demolitur, omnem in ea auctoritatem elevat, & Apostolicam sedem contemnit.

20. Idem viros doctos in reprobum sensum traxit, fascinavit & decepit, ut pravæ ejus doctrinæ subscriberent.

21. Poza sub salvo conductu & impunitate oblata Romam vocatus renuit comparere.

22. Pozæ damnatio universam tangit Societatem, quoniam illa contemsit legitimam ejus condemnationem in Curia Romana, & Academiarum ac Religiosorum Ordinum clamores: & Pozam, post doctrinam ejus Romæ condemnatam, in primaria Theologiæ cathedra Madriti collocavit,

& Aulæ Hispanicæ frequenter, privatim & publice certatim commendavit & fovit.

23. Doctores & Patres Societatis suis impensis curarunt disseminanda Pozæ dogmata Romæ damnata, & librorum exemplaria gratis distribuerunt.

24. Ipsa Societas quædam publicavit sub nomine totius Societatis & in causa & pro causa Societatis, ita ut Societas Pozæ causam pro causa totius Societatis habeat.

25. Jesuitæ meruerunt, ut publice cogantur Hęresin abjurare, utq; à munere in Scholis docendi penitus amoveantur.

26. Jesuitæ scholis totius orbis per fas & nefas inhiant, ut eas evertant, & juventutem ac reliquas ætates & status pestifera sua doctrina inficiant.

Caput LVIII.

In Hispania hoc tempore vigent Hæreses Romæ condemnatæ.

EX istis omnibus liquere jam arbitror, quis hoc tempore sit Hispaniæ status. Nimirum Principes, Episcopi, Prælati, Doctores, Magistri, ut innumerabiles alii taceantur, Diabolicis Jesuitarum artibus fascinati, decepti & in reprobum sensum tracti sunt, ut pravam Pozæ doctrinam probent, interque fidei capita habeant, liberum esse contra Generalium Conciliorum & SS. Patrum ac doctorum sententiam novas in Religione doctrinas cõminisci ac sequi, nec Pontificem id prohibere jus esse: nullam in Censura sedis Apostolicæ & Conciliorum Generalium adversus personas ac doctrinas esse certitudinem: Censores Romanos Pozæ condemnatores esse Hæreticos, & fidei quam Apostolicæ sedi debent proditores. Quis ergo jam non agnoscat, Hispaniam non minus nunc pestifero Hæresis veneno, quàm Germaniam, esse imbutam, ejusque conditionem hoc ipso multò miserabiliorem, quod in Germania nulli sint Episcopi, nulli antistites aut magni Doctores, qui sedis Apostolicæ & Pontificis judicium, censuram & auctoritatem usque eo contemnant. Itaque pro explorato haberi debet, propediem aut omnem Hispaniam fore hæreticam & ab Ecclesiæ Romanæ communione separatam,

Miserabilior Hispania, quã Germaniæ conditio.

tam,

tam, aut exoritura in ea funestissima dissidia & civilium bellorum incendia, quod in varietate sententiarum de Religione nequaquam evitari posse, omnium sæculorum & populorum complurium exempla comprobant. Itaque vere jam Hispania Ignatium suum ab Igne nomen traxisse agnoscet, qui venerit Ignem mittere in terram, & Trojanum patriæ conflare incendium, ut Hispaniæ eveniat, quod Tyro Deus interminatur Ezech. 28. *Producam Ignem de medio tui, qui comedat te.* Certè quod supra Forerum Jesuitam in Germania fecisse demonstravi, non minus Poza in Hispaniis opera sua perfectum iri portendit, ut etiam in ipso locum inveniat illud Salomonis: *Vir Belial fodit malum, & in labiis ejus Ignis ardescit. Homo perversus suscitat lites, & verbosus separat Principes.* Itaque mittetur sanguis invidiæ, nec jam Gallia habebit, cur Hispaniam accuset, quod Ignigenos istos Vulcani irati filios ipsi immiserit, quorum doctrina de Regibus excommunicatis (quod Pontificis nutu abs quivis de populo occidi possint) complurium sicariorum manus armavit, & duos Francorum Reges nefario parricidio sustulit. Longe enim atrocior est tot animarum cædes, quam in Hispania nupero ac novitio Pozæ dogmate, & cum maxime nunc faciunt: cui etiam Hispaniæ nisi maturo ad meliorem mentem receptu providet, haud leve imminet periculum, ne magno suo malo experiatur, quid illud argumenti habeat, quod de populo Israëlitico propheta prædicat Ose. 10. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt, quia nunc dicent, Non est Rex nobis, non enim timemus Dominum* (cujus Vicarium contemnimus) *& Rex quid facit nobis?* Hoc vero specimen esto Fidei, quàm erga Pontificem præ cæteris Religiosorum Ordinibus Societas profitetur. Postquam scilicet spes sua ipsis refrixit, nec Societati Pontificem obsecundare, & in affligenda D. Thomæ auctoritate ad divinæ cujusdam omninoque falli nesciæ doctrinæ opinionem atque famam suffragari velle apparuit, alienæ personæ ferendæ finem fecerunt, & Cornua sua, sive gratiam, qua in Regia Hispanica plurimum se pollere noverant,

Hispaniæ imminēt bella civilia.

Jesuitæ veri Hispaniæ & Germaniæ Incēdiarij.

Jesuitæ causa parricidij duorum Galliæ Regum.

Multo tamen majorem in Hispania cædē fecerunt.

Cur Jesuitæ fidem erga Papam deseruerint.

Pontifices societatem velut serpentem in sinu foverunt.

rant, in ipsum Pontificem & conscriptos Sacri Collegii Patres palam obvertere ausi sunt. Itaque illi sero jam sentiunt, se in sinu Serpentem tanto tempore fovisse, magnoque cum dolore & animi fluctuatione experiuntur, quam non de nihilo dia Salomonis sententia monuerit: *Qui delicatè à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Sin autem (quod non pauci censent) ex ipsorum quoque parte subinde occasio datur Deo veterem suam iterandi querelam: *Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me*: nempe idem sibi alios facere, novum magis, quam iniqum videri eis par est, cum justitiæ divinæ regula sit. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, Sapient.II. Cujus exemplum in Rege Sedechia scriptura suppeditat, qui Deo & servo ejus Nabuchodonosori rebellans, spreto quo ipsi se devinxerat, fidelitatis sacramento (Ezech. 17.) eo ipso idem sibi facere, seque ludibrio habere servos suos docuit, Jerem.38. quo illi nomine Deus sic insultari jubet: *Vbi est grex tuus, qui datus est tibi, pecus inclitum tuum? Quid dices cum visitaberis?* (& per quæ peccasti, per hæc & torqueberis?) *Tu enim docuisti eos adversum te, & erudiisti in caput tuum. Numquid non dolores apprehendnnt te, quasi mulierem parturientem?* Jerem. 13.

Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram

SEDIS

SEDIS APOSTOLICÆ CENSVRA:

I. Adversus novam, falsam, impiam & Hæreticam Societatis Jesu doctrinam nuper in Hispania publicatam.

II. Adversus novam & Pestiferam sectam mulierum Jesuitissarum, Friburgi Helvetiorum à Jesuitis nuper introductam.

Cui accessit

ACTIO HÆRESIS IN SOCIETATEM JESV ad summi Pontificis & Sacræ Inquisitionis Tribunal.

EDITÆ
ROMÆ EX TYPOGRAPHIA REV. CAMERÆ Apostolicæ anno 1631. & 1632: Mediolani ex Typographia Collegii Ambrosiani 1633.

Dominus Gravina Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Professor in Cathedra S. Thomæ Aquinatis Neapoli, in libro adversus Paulum Laimannum & Jacobum Kellerum, aliosque Jesuitas, qui inscribitur, Congeminata vox Turturis, *editusque est Neapoli anno 1633. Cap. 16. pag. 435.*

QVID non effutivit Johannes Baptista Poza, à quo ut de Puteo abyssi Sycophantiarum fumus exhalavit, & inter cætera Paradoxa, acri censura digna dignèque censurata solem Ecclesiæ S. Thomam obscurare conatus est, hanc profundam abyssum impetendo tam in libello supplice ad Indices veritatis directo, quam in Elucidario, quam in Apologiis: ut merito anno 1628. suspensus sit in Indice à Censoribus Romanis, cumque nec velle subjici Censura superiorum contentione horribili, & contentiosa aversione, multis in eodem schismatico stylo idem Poza editis responsionibus Apologeticis reclamasset, nunc iterum cum omnibus operibus suis suspensus est in hanc formam, quæ sequitur.

DECRETUM.

Sacræ Congregationis Eminentissimorum & Reverendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium à sanctiss. D. N. Urbano Papa Octavo sanctaque sede Apostolica ad Indicem librorum, eorundemque permissionem, prohibitionem, expurgationem & impressionem in Universa Republica Christiana specialiter deputatorum ubique publicandam.

Sacra Indicis Congregatio Eminentiss. & Reverendissimorum D. D. S. R. E. Cardinalium infrà scriptos libros damnat & prohibet, mandans omnibus & singulis cujuscunque gradus & conditionis sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis, ne ullus imposterum eos imprimere, legere aut quovis modo apud se retinere audeat, & si quis aliquos illorum habuerit, ut statim omnes à præsentis Decreti notitia locorum Ordinariis aut Inquisitoribus consignet.

Libri autem sunt.

Johannis Baptistæ Pozæ Societatis Jesu Cantabri Opera omnia.

Libellus Anonymus inscriptus: *Memorial à los Juezes de la Verdod y Doctrina.*

Libellus Anonymus inscriptus: *Libellus quidam supplex, cui titulus, Ad Judices Veritatis & doctrinæ, defenditur.*

Liber inscriptus: *Sanctissimo Domino, D. N. Urbano Papæ Octavo, natio & cognatio Cantabrica Johannis Baptistæ Pozæ è Societate Jesu, in causa judiciali Tomi primi Elucidarii cujus initium est: Beatissime Pater, Cantabricum Dominium & Cognatio Johannis Baptistæ Pozæ è Societate Jesu, ad pedes Sanctitatis Vestræ abjectas partes judicialis defensionis Tomi primi Elucidarii ultro suscipiunt.*

Liber inscriptus: *Sanctissimo Domino D. N. Urbano Papæ Octavo, Cognatio Cantabrica Johannis Baptistæ Pozæ è Societate Jesu in causa judiciali Tomi primi Elucidarii, cujus initium est, Beatissime Pater, Doctor D. Johannes de Uribe & Tarza nomine cognationis Cantabricæ Johannis Baptistæ*

Baptistæ Pozæ è Societate Jesu ad pedes Vestræ Sanctitatis abjectas partes judicialis defensionis Tomi primi Elucidarii ultro suscipit.

Libellus sine titulo, cujus initium : *Sennor, El Doctor Don Juan de Vribe y Yarza en su nombre ; y en el de los parientes y deudos del Patre Juan Baptista Poza de la Compannia de Jesus.*

Et quicunque alii tractatus, Apologiæ, Informationes, Libelli supplices, vel quovis alio nomine expressi pro defensione Elucidarii Deiparæ, sive doctrinæ præfati Johannis Baptistæ Pozæ, tam prælo mandati, quam manuscripti.

In quorum fidem manu & sigillo Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Pii, Sacræ Congregationis Præfecti præsens Decretum signatum & munitum fuit Romæ die 9. Septempri Anno 1632.

C. Episcopus Portuensis Cardinalis Pius.

Locus O Sigilli.

Fr. Io. B. Marinus Ord. Præd. Mag.
& S.C. Secr.

Die 28. mensis Septembris Anno 1632. supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ aliis locis solitis & consuetis Vrbis per me Andræam Scalmanum Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Augustinus de Bolis pro Mag.
Cursor.

Romæ ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ
M.DC.XXXII.

ACTIO

ACTIO HÆRESIS
In Societatem Jesu.

EPIPHANEIA ET PLEROPHORIA MAGISTRI FRANCISCI ROALES.

Hoc est,

Manifestatio & satisfactio in luce totius Ecclesiæ sanctæ Dei, & universæ Reipublicæ, pro asserta justitia Edictorum & sententiæ sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium in Censura librorum, qua Johan. Baptistæ Pozæ è Societate Jesu Opera omnia, & quælibet in favorem ejus scripta damnantur.

Sanctissime Pater, Imperator, Reges, Principes, &c.

SI quando Hæreses, ut probati manifesti fiant oportuit esse: maxime eas esse nunc temporis oportuit, multorum caritate refrigescente, qui nuper ad sua desideria coaceruant sibi Magistros, Perfectionis studium, sanctorum Patrum doctrinas evertunt, à veritate avertunt animos, ad fabulas & sæculi sapientiam convertuntur: & quo voti compotes fiant, Ecclesiam Romanam, veritatis magistram, parum curant, sanam doctrinam non sustinent, omnia interius exteriusque interturbare, & sacra profanis commiscere non desinunt. Exivit jam diu ex his, imò inter hos divina providentia permittente adhuc est, omnium sanctæ Ecclesiæ Dei adversantium pessimus quidam Poža: qui cùm pietatis constitutus sit publicus in Christi republica antecessor, factus est omnium errorum prævius, condus promusque, notorius hæreticorum sectator dogmatista: dum opponit sanctissimo Pontifici Romano, scripta sua merito jureque damnata uno Deo niti: dum jactat, doctrinas ab Ecclesia sanctissime prohibitas impie adversus Spiritum sanctum defensans, se in petra stare, petramque in qua stat, licet insaniat mare, non posse commoveri: denegat Ecclesiæ & ejus capiti potestatem ipsum in jus vocandi aut cohibendi: affirmat sedis Apostolicæ & sacrorum Conciliorum generalium judicia in doctrinis & personis

ſonis damnandis poſt omnem diſquiſitionem juxta formam jurisfactam (quod ultimi judicii eſt in Eccleſia, cui Spiritus ſanctus aſſiſtit) nulla & prava quandoque fore, fuiſſeque de facto: docet liberum ſibi futurum præter Doctorum & Sanctorum Patrum ſententiam, imo & contra, in Religionis & pietatis doctrina innovare, & alia plura enormia horrendaque dictu, in quibus Illuminatos, Tertullianiſtas, Libertinos, Proteſtantes, alios omnes Hæreſiarchas, imitari aut ſuperare videtur. Nec proprio contentus lapſu errores ſuos indies dilatare ex animi deliberatione, ſummo ſtudio & ſolicitudine curat improba, non ſolum munus Magiſtri publici obiens Laicos Nobiles, & promiſcuæ plebis viros ſimplices, aliosque teneræ ætatis auditores peſtiferas ſuas doctrinas lingua vulgari publice edocens, verum etiam contra civiles & Eccleſiaſticas ſanctiones, in perniciem totius Reipublicæ Catholicæ in lucem editas typis doloſis & furtivis, Auctore, Typographo & Officina ſuppreſſis vel fictitiis evulgans, ſacræ paginæ, Conciliorum, Sanctorum Patrum & Doctorum Scholaſticorum depravationibus, ſophiſmatis, paralogiſmis, mendaciisque impudentiſſimis refertas, compoſitus arte Diabolica ad fallendum. Nec fefellit mendaciorum & Hæreſeon patrem ſucceſſus. Plures ſunt, prohdolor! in Hiſpania (ut de fœminis aliisque ſimplicioribus taceam) viri Principes, Epiſcopi, Prælati, Doctores, morum probitate, doctrina ac religione præſtantes, quibus Pſeudocatholicus hic dogmatiſta voce, ſcripto, concionibus, prælectionibus, libris, occaſionem præbuit ruinæ; dum favore, plauſu & auctoritate ſuæ Societatis laudatur, commendatur, foro conſcientiæ, ſacris pulpitis & publicis cathedris præficitur: plures, qui falſis ejus ſcriptis & ſacræ doctrinæ corruptelis, pietati fictæ & ſubdolæ fidem adhibentes, incaute approbarunt, temere ſubſcripſerunt. Et quoniam animus à malitia liber non percipit malitiam, Magnates etiam Aulæ ſupremi patrocinati ſunt candore & innocentia.

Propterea ego Franciſcus Roales Presbyter Theologus

Hispanus, Magister Salmandicensis, parentibus Petro Roales & Maria Munnioz è vetusta Castellanorum gente in oppido Valdemoro Toletanæ Diœcesis quadraginta quatuor annos abhinc natus, olim in Regio S. Laurentii prope Scorialem Collegio à sanctissimis Hieronymianæ familiæ Eremitis pietatis, artium liberalium & Theologiæ studiis, auspiciis jussuq; Philippi Tertii Regis Catholici educatus, apud Salmanticenses deinceps in S. Mariæ Magdalenæ Collega Theologus Academiæ Deputatus, & publicus Mathematum Professor, adaucto ob linguarum & aliarum rerum qualemqualem peritiam honorario à Rege & supremo Senatu, stipendio, tandem Principi Emanueli Filiberto & Regi Catholico Philippo IV. inter Sacerdotes honorarios à sacris, Serenissimo Hispaniarũ Infanti Ferdinando à studiis literariis: cum matura inspectione facta certo scirem omnia scripta & doctrinas dicti Pozæ, suorumque defensiones, approbationes, commendationes & plausus in destructionem potiùs, quàm in ædificationem fidelium & fidei Catholicæ tendere, viamque ad omnem Hæresin, imò ad Atheismum in Hispaniam aperire: memor officii mei erga Regem Catholicum, cui debeo quicquid sum, erga amicum Regis, cui ob maxima in me collata beneficia obstrictus sum, erga patriam, erga Religionem & Rempubl. pro quibus natus sum mortem oppetere, nec oblitus debitæ correctionis & caritatis erga PATRES (sic enim audire volunt) admonui primum Prælatos, Præpositos & amicos dicti Pozæ privatim, ipsumque Pozam postea coram aliis selectis septem viris domesticis & Collegis suis ad colloquium & disputationem inter me & illum ab ipsorum Societate specialiter deputatis, in conspectu Megistanum Hispaniæ, Ducis Lernensis, Ducis de Ixar, Comitis Salinatum, Comitis Saldaniæ, & multorum aliorum Nobilium virorum, qui vocati præsentes adfuere, ipsum inquam personaliter constitutum, suosque coargui palam de multiplici crimine falsi, & scandalo commisso scienter & cum dolo in scriptis ab ipsomet libellis, à suis approbatis atque editis, nomineque TOTIUS SOCIETATIS evul-

evulgatis, pravo exemplo læſæ Majeſtatis, & fidei publicæ, quæ læſa in Societatem clamat adhuc. Id cum ob *Pozæ* & ſuorum ſuperbiam, fraudes, modosque agendi Diabolicos nõ ſatis eſſet: *P*rincipibus miniſtris Aulæ & Curiæ regiæ ſuggeſſi, ut maturè *P*ozæ & SOCIIS ejus obviam irent, ne Regi Catholico, amicis Regis, & toti Reipub. imponerent, primates candidiores & optimos quosque occultè quam blandiſſime ſeducentes, ſub doctrinæ & Religionis prætextu religionem & doctrinam peſſumdantes. Et in hac ſuggeſtione, ut in aliis, eos quibus facta eſt, ſatis graves & honeſtos teſtes habeo.

Tandem per viam denunciationis clam, & per publicam demum Accuſationem ad Tribunal ſanctiſſimæ Inquiſitionis Hiſpaniarum palam inſtiti, Legatis Apoſtolicæ Sedis apud Catholicum, *P*ræſidi ſupremi Senatus Caſtellæ, Academiis, Eminentiſſimis Cardinalibus in Hiſpania, Epiſcopis, Religioſorum Ordinum præpoſitis, Doctoribus & Magiſtris ubicunque & quoscunque alloqui datum eſt, innoteſcere faciens, quale & quantum periculum ac pernicies ex *Pozæ* ſuorumq; doctrina, audacia, novitate, falſitate, Eccleſiæ Catholicæ imminebat. Nec interim ſubterfugi privatim & publicè ſemper & ubique quo minus annunciarem omnibus in Aula, in plateis, in compitis (ut ſæpe de hoc me petit *P*oza in Apologiis, ſuique gratiſſimo mihi crimine accuſant) caverent à fermento hæreticorum, attenderent falſis Doctoribus: idq; opportune, importune in omni patientia feci, in ſpe fore, ut ſanctiſſimi Tribunalis Judices Hiſpani in tempore medicinam adhiberent. Et ſane illud obtinui, propter quod accuſationem præcipue inſtitueram, ſcilicet ne Poza deſignatus ſanctiſſimæ Inquiſitionis Qualificator aut Cenſor in dehoneſtamentum illius ſacroſancti Tribunalis & Sedis Apoſtolicæ irreverentiam hoc munus exerceret. Cautum id. Quod ad reliquum, ab actione non deſtiti, proſequi ad tempus diſtuli, expectans ſi forte Poza & ſui reſipiſcerent, ſcirentve confuſi erubeſcere, ſatisque fore exiſtimans ſemel atque iterum pro cauſa totius orbis ſcripta ſua ſuorumque fautorum defenſo-

ria prava & impia Romæ fuisse damnata per sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium edicta, ut in Hispania ad regulam illam primam & supremam Curiæ & Sedis Apostolicæ rata haberetur aut fieret eorundem scriptorum prohibitio. Sed cum videam in dies non sine gravi scandalo & periculo protrahi Edictorum exsecutionem in Hispania, & Pozam suosque insolentiores in pejus quotidie ruere, tum ingeminatis vulgatisque magno numero publicis Apologiis & libellis famosis Latina & vulgari lingua clam editis, Censores & accusatores Romanos & Hispanos ad Fidei & librorum expurgandorum Tribunalia ab his in jus vocari, calumniatores, mendaces, manifestos falsarios, imò hæreticos et proditores fidei, quæ Sedi Apostolicæ debetur, compellari: insuper negligentiæ, supinæ ignorantiæ, conniventiæ, venalitatis, malignitatis Diabolicæ et læsæ Majestatis crimine viros doctos Hispanos et Italos reos fieri, nec S. Inquisitionis ministris, Eminentissimis Cardinalibus, vel Sanctissimis Summis Pontificibus, omni humano divinoque jure susque deque habito, parcere: Ideo ego dictus Magister non quod magis idoneus, sed quod alii gravioribus occupentur, aut illis respondere tanti non faciant: neque ex eo quod ad Pozæ et fautorum ejus damnationem asserta justitia Sacræ Congregationis, Judices, Censoresve doctrinæ his opus habeant, quod esset Solem facibus juvare, sed (quoniam non omnium est scientia) ne simpliciores minusve cauti per inanem Philosophiam decipiantur: tum etiam quod necessitas mihi incumbit, et prosequor injuriam publicam propriamque. Is enim sum, quem potissimum sui et suorum adversarium et ab initio accusatorem agnoscit, et quem in primis læsum vult, et in jus per fas et nefas tacitè et simulatè vocat Poza suique (quod mihi gloriosum est ab his, de his, ad hos et inter hos) ideo inquam ex plena animi deliberatione, propria electione, & conscientia non errante ad id cogente; in obsequium sanctæ Sedis Apostolicæ, hoc est, in obsequium Regis Catholici, ad majorem gloriam Dei & sanctissimæ immaculatæ
Virgi-

Virginis Deiparæ, pro asserta justitia Ecclesiæ Romanæ in censura librorum, pro doctrina fidei & ejus sacrosanctis Tribunalibus, pro patria, pro Academiis Hispanis, & præcipue pro Principatu Cantabriæ, quorum omnium publicam læsionem simul, & injuriam meam vindico, coram Vestra sanctitate & coram Eminentissimis Cardinalibus Sedis Apostolicæ Roman. Judicibus delegatis in luce totius Ecclesiæ Catholicæ & Reipub. Christianæ animo, et hoc publico ad omnes fideles scripto compareo, paratus et corpore comparere quotiescunque legitime jubebor, et Pozam ejusque fautores de prava, falsa et hæretica doctrina coram, palam et in continenti convincere, atque omnia quæcunque à me scripta seu dicta sunt, vera probare præsto sum. Nec recuso aut unquam recusavi, imo stare volo, profiteor ad Tribunal, quo me Poza et sui advocant, coram ipsismet Judicibus, qui in cognitionem hujus causæ de Poza et scriptis suis prævenerunt, rationem mei redditurus, pro fide responsurus, veritatem defensurus.

Item coram Deo & hominibus notum facio testorque omnibus & singulis hanc publicam manifestationem & satisfactionem ad publicas itidem *Pozæ* & suorum damnatas Apologias inspecturis, per me non stare, quo minus fiat in judicio, aut extra, coram Judicibus, aut aliis viris doctis, reorum & actoris secretus aut publicus congressus & confrontatio: quam sæpe ob victam & hæreticam *Pozæ* & suorum expostulationem & provocationem ad sui majorem confusionem postulavi, quando eum quoad scripta detuli ad hæreticæ pravitatis Inquisitores supremos in Hispania, & iterum illam denuo, si expediat liceatve mihi per eos, quorum interest, postulo accusans *Pozam* in præsentia quoad præscripta, & quoad personam, tanquam novatorem, falsarium, hæreticum notorium, dogmatizantemque Hæresiarcham: qui hæreticorum allegata scripta sensaque formaliter hæretica pro doctrina à Spiritu sancto sacris Conciliis dictata supposuerit, docuerit & scripserit, scienter & studio, & ex animi proposito ante

 et

& post accusationem, cum eadem etiam post legitimam damnationem & inexcusabilem notitiam sæpe iterum repetens & ingeminans longè deterius defensaverit: & è contrario sacrorum Conciliorum doctrinam, tanquam hæreticorum errores, turpissimè damnaverit: innumera Conciliorum, sanctorum *Patrum*, Doctorum Scholasticorum, imò & sacræ paginæ loca & sensa impudentissime corruperit, falsaverit, intorserit hæreticè, ut nova principia præter & adversus totius Ecclesiæ Catholicæ mentem introduceret, & contra expressam, communem, ab omnibusque receptam *Doctorum* & *Patrum* sententiam novas doctrinas, de quarum singularitate gloriatur, inveheret. Qui ut aliter scientiarum instrumenta disponere, ordinem universæ Scholæ confundere, totius Theologiæ locos demoliri, omnem in ea auctoritatem elevare conatus, Apostolicam Sedem contempserit, Christum Dominum ejusque ab omni labe purissimam & immaculatam matrem Virginem inhonoraverit, apparatum ad cunctas hæreses instruxerit, viam ad Atheismum aperuerit, Regem & Principes seducere tentaverit, viros doctos, ut jactat, in reprobum sensum traxerit, fascinaverit, deceperit, ut pravæ subscripserint doctrinæ, exemplo pessimo: quæ omnia licet per se ex scriptis & gestis Pozæ, & fautorum sint notissima, judicialiter tamen per probationes luce meridiana clariores, facti evidentia nota faciam, in lucem Ecclesiæ ea exponens, reorum voto & instantia, qui cogendos ad id esse accusatores ingeminant: ut qui voluerunt corrigi secreto, corripiantur cum opprobriis.

Nec Disputationem renuo, quamvis superflua videatur in re judicata, & in iis, quæ expositione aut propositione tantum indigent, qualia sunt, quæ hic deferuntur: tamen postulat & hunc hæreticorum more *Poza*; in usuque aliquando Ecclesiæ fuisse ex abundanti contra pervicaces, ut in simili nunc, non eo inficias. Ergo ut istorum infringatur audacia, & ora obstruantur impiorum, disputationi præsto sum. Sed quia *Poza*, dum suos accusatores et Censores Hispanos ac

Roma-

Romanos crimine falſi et proditionis fidei quæ Sedi Apoſtolicæ debetur, reos facit, in primis me accuſat et advocat Romam, conviciatus de more ſcriptis publicis, libellis famoſis typis editis: prævaricatur tamen et renuit vel ſub ſalvo conductu et impunitate oblata (ut fatetur) vocatus comparere et ſtare provocationi per ipſum, et qui ab ipſo ſunt, evulgatæ: licebit ei per me ex ſupererogatione et indulgentia (quod eſt contra omne jus et fas) per Procuratorem audiri, nec enim abſentiam curo, ubi culpa præſens eſt. Atque ut Procuratori locus ſit, et quilibet ex *Pozæ* fautoribus Sociiſve experiri mecum poſſint, quoniam illius membri putridi contagia, damnatio et accuſatio ex reorum allegatione et ipſa rei veritate VNIVERSAM TANGVNT SOCIETATEM: deſero et aduoco in jus ex quovis ordine et ſtatu quoslibet hujus cauſæ fautores, defenſores et patronos, præcipuè *Præ*poſitos, doctores et Cenſores ex ipſius Societate, omnes illos, qui ſcripta et prava manifeſtè *Pozæ* dogmata approbarunt ſubſcriptione directè, indirectè commendatione, ſilentio, conniventia: cum de crimine Falſi, læſæ Majeſtatis & fidei teneantur: maximè quatenus poſt ſcriptorum legitimam, ſanctiſſimamque in Curia Romana damnationem, poſt publicam famam & rumores de Pozæ Hæreſi, inſolentia, novitate, ſingularitate et falſitate doctrinæ de Conciliorum, ſanctorum Patrum, Scholaſticorum & totius Eccleſiæ contemtu: poſt tot clamores publicos Academiarum Salmanticenſis & Complutenſis, Religioſorum Ordinum, concionatorum ex ſacris pulpitis, Magiſtrorum ex Cathedris publicis, accuſatorum et doctorum virorum in Hiſpania & Italia voce ac ſcripto: poſt multa etiam typis edita Catholicorum volumina in Pozam, tanquam in Puteum abyſſi Hæreticum, Hæreticorum diſcipulum, Miniſtrum Diaboli, ſucceſſorem Lutheri (his enim coloribus per pios & Catholicos viros deſcribitur) qui contra articulos fidei doceat, ſacræ doctrinæ ſenſa depravet, corrumpat: poſt hæc, inquam, omnibus his non obſtantibus, & penitus à Pozæ Societate ita contemtis, ut

excu-

excuſationem non habeant, magno ſcandalo, & in totius Chriſtianæ Reipub. damnum, Regi Catholico & ejus Miniſtro primati virum adeo ſuſpectæ & omnino depravatæ doctrinæ, ad publicas prælectiones in Collegii Imperialis ſcholis Regiis; tum in cathedra Novatoria palam & ſuſpecta de placitis Philoſophorum anteceſſorem, tum in ſacra pagina primarium Doctorem propoſuerunt, vel probarunt, veluti Hiſpaniarum juventuti erudiendæ maximè idoneum, Principibus, Senatui & univerſæ Regiæ Curæ frequenter, privatim & publice certatim commendarunt, foverunt, applauſerunt: cum ex conſueta ſuorum, quam jactant, circumſpectione & probatione continua, ex fama publica, rumore, clamore & omnibus non ſine dolore memoratis ſupra dictis perſpectum habere debuiſſent, hunc hominem, eaque in quibus peccat, manifeſte publica facta ſint & notiſſima notorietate juris factique.

Nec ſolum approbata & laudata ſunt à Societate & ejus Theologis damnanda damnataque hujus pſeudocatholici Doctoris ſui ſcripta & opera: verum quod majus eſt, quædam per ipſos Doctores & Patres Societatis ad pravæ & novæ doctrinæ ſemina longius propaganda, aliis & aliis Typographis in diverſa loca mandata, ſtudio, ſolicitudine, correctione & expenſa Patrum ipſorum typis edita, contra ſui ordinis ſtatuta, contra expreſſa ſacrorum Conciliorum & ſummorum Pontificum decreta: et quod maxime notatu dignum eſt, exemplaria vulgari ſermone Hiſpano conſcripta vulgo Doctorum et ſtudentium fuere diſtributa gratis et amore oſtiatim per Societatis ipſius Patres et Doctores, Danaos dona ferentes, ignesque ſuppoſitos cineri doloſo, equo Palladio. Quædam itidem nomine TOTIVS SOCIETATIS, et in cauſa & pro cauſa Societatis, in lucem publicam data ab ipſamet, per ipſam inter Miniſtros Regios, Primates & viros Nobiles ex Aula, ex ſenatu, ex Curia, ſunt diſperſa per libellos in Regem & Rempub. falſarios & proditorios. Alia item habita primum pro Roſtris coram pleno Societatis conventu &

tu & Curia Regia, deincepsque publici juris facta, publicè Madriti à Societate habentur venalia. Alia inter Nobiles privatasque personas sciente & probante Societate per diribitores & amanuenses manu scripta dispertiuntur. Plura deniq; Anonyma, plura suppositis & fictitiis nominibus similiter edita distrahuntur vulgataque disseminantur.

Quæ omnia cùm multiplici crimine falsi redarguantur, impietatemque contineant manifestam, ut ex hujus actionis prosecutione patefiet, auctores, fautores, laudatores, Doctores, vulgatoresque ejusmodi scriptorum & libellorum saltem suspecti habendi sunt de vehementi, incurreruntque crimen Falsi & læsæ Majestatis in re doctrinæ & fidei gravissima, silentio, conniventia, simulatione, fautoria: de quibus meritò veniunt accusandi. Et ego dictus Magister in eos simul & in Pozam, tanquam in Reipub. & veræ pietatis hostes publicos, Actionem hanc, prout melius & efficacius possum & debeo, publicam instituo, tum ad partis instantiam provocatus, tum necessitate salutis boni publici & Famæ propriæ coactus, non ex odio, aut ex alio pravo cordis affectu, quod in verbo Sacerdotis per Deum juro testorque, & ad hæc & singula supradictorum probanda & demonstranda teneri & COGI VOLO SUB POENA TALIONIS, et qualibet aliâ extraordinariâ pro arbitrio Superiorum, sub quorum correctione semper sto. Et postulo ex suprà relatis hujus accusationis capitibus, cum de eorum CONSTET veritate, ut Poza hominesque Societatis hujusmodi, ad normam justitiæ & æquitatis debito rigore coerceantur, SVSPECTI & PERICVLOSI in negotio Fidei, Ecclesiæ & Reipublicæ deinceps habeantur, digniq; qui PVBLICE ABJVRENT, aut PVRGENTVR, & qui à MVNERE DOCENDI in collegiis, ut sanæ doctrinæ & Rebuspublicis Noxio penitus AMOVEANTVR: ne ad Pozæ & similium exemplum totius Orbis scholas, quibus PER FAS & NEFAS inhiant, evertant, indeque juventutem et reliquas ætates ac status. Quod de hac olim Societate gravissimi viri prædixere, et hodie illustriores in Ecclesia virorum docto-

rum cœtus et Academiæ, ex Societate ipsa, et rei veritate cõfirmant. Et subscribo ut infra.

M. Franciscus Roales.

PARADIGMA SIVE EXEMPLUM IN SPECIEM doctrinæ Pozæ & suorum.

IN dissertationis seu declarationis hujus exemplum ex plurimis hæc sint Themata.

Primum. Tot apologias stare pro se, quod exstant Concilia, ait Poza. Ostendam, tot esse accusationum capita, et Hæresis indicia contra Pozam ejusque fautores, quod clausulas Conciliorum pro se adducunt, imò in pluribus tot esse delicta, quot verba. Et hæc assertio omnium, quæ à me exponenda sunt, est fundamentum basisque, unde dicendorum specimen et initium est capiendum.

Secundum. Reum se esse damnationis æternæ, nisi veritatem manifestet: item, se scribere, ne Ecclesia veritate privetur, ait Poza. Ostendam, Pozam in hoc uno sibi constare, quod semper et ubique, etiam cum verissima dicit, falsò loquitur et mendax est: in hoc item uno esse veracem, quod ipse mendacem se prodit, ipse Hæreticum se ostentat.

Tertium. Se de Ecclesiæ cultu in Curia Romana judicari: nescire item an ullus sit doctor, qui magis Ecclesiam exornaverit illustraveritque, de semetipso ait Pozæ. Ostendam, omnium adversantium Ecclesiæ sanctæ Dei Hæreticorũ nunc temporis et retro, pessimum impudentissimumque Pozam exsistere: quod exemplis Hæresiarcharum Lutheri et Eutychetis, cum quibus ipse Poza se componit, atq; etiam ex aliorum parallelo palam fit.

Quartum. Se, quæ sanctissimam Deiparam maxime commendant, docere: de puritate Virginis judicari à sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium, ait Poza. Ostendam, nullum unquam exstitisse pietatis purissimæ Conceptionis adversarium æque noxium, ac Poza impius: cui si fides adhibenda est, sanctissima Virgo Deipara causam (quod absit)

absit) perdidit: Poza & ejus fautores sociique justitiam causæ pietatis prodidere: in quo crimen læsæ majestatis divinæ & humanæ commitrunt manifestè.

Quintum. Adversari antiquæ Ecclesiæ DEI, Christo & Matri sanctissimæ eos, qui scripta sua damnant, ait Poza. Ostendam, omnes & singulos, qui pravâ damnataque scripta Pozæ, aut ipsum per apologias se defensantem defenderunt, foverunt, approbarunt, commendarunt (nisi eos excuset innocentia ex deceptione aut ignorantia) suspectos fore de fide: correctione aut monitione maximè indigere.

Descendam & propius ad hæc Themata: Exempli gratia, ad allegationem Conciliorum: per decades & hecatondadas delicta Pozæ & fautorum enumero: nec enim minoribus numeris capiuntur. In uno Concilio sexto generali centies, bis centies & amplius delinquitur. In eodem unico Concilio quadragies verba Hæreticorum pro verbis, doctrina & sententia Concilii, falso allegat & repetit Poza suique. In uno Concilii unius Hispani XV. Toletani exemplo referendo (quod incredibile dictu est) bis centies peccant, correctione & damnatione digni sunt. Item in unico tractatu primo lib.3. Elucidarii supra vigesies falso aut prave allegat Poza Concilia. Dicam aliquid majus. In uno folio Elucidarii lib. 4. tract. 3. cap. 1. pag. 909. et 910. in Complut. editione, quod incipit, *Pertinent*, usque ad finem §. *Vbique*: quadragies et amplius Conciliorum loca et sensa falso citat et refert in favorem hæreticorum, ab Hæreticis palam, et ex eorum sententia contra Ecclesiam Catholicam: ita ut in eodem folio unico ferè bis centies redarguatur falsum docere et innuere pro Hæreticis, contra veritatem rei, mentem Conciliorum & S. Romanæ Ecclesiæ auctoritatem: quod ex collatione ipsa textuum Conciliorum cum Poza palam facio. Neq; hyperbolice hæc scribo, sed Christiana & fideli veritate, quod testor Deum juroque. Loquor enim coram Deo, coram summo Pontifice, coram Principibus totius Ecclesiæ & universæ Reipublicæ, quos omnes iterum atque iterum per venerandam

sanctissimam Trinitatem de more olim Ecclesiæ conjuro, hæc humilitatis meæ non despicere, nec me unum ex pusillis expositum offensioni contemnere. Judicio sto, lege & jure ago, in luce sanctæ Ecclesiæ me inique compellantibus pro causa fidei satisfacio, atque ut inimici veritatis confundantur, minimus inter Salmanticenses Magistros, quo sanæ doctrinæ Romanæ Ecclesiæ facem hac disputatione adversariis præluceam, illis adsum. In ea sic me geram, ut non nisi manifesta illis objiciam, brevibus enthymematis, brevibus interrogatiunculis experiar: eisdem auctoribus, eisdem codicibus utar, quos Poza & sui commendant laudantque: quin potius ipsis testimoniis & locis fideliter allegatis ibidem, quibus illi errores adstruunt, ipsos vincam, nec Pozam sine ipso unquam conveniam. Insuper omnes conditiones ab eo accipiam, quæ possint cum ipsius doctrina subsistere, etiamsi communes cum Lutheranis & Protestantibus comminiscitur. Nullum Tribunal in Ecclesia, nullos judices recuso: nullius in me injuriam metuo, nec timeo, ubi non est timor. Humanum favorem non ambio: puniri si merear, non deprecor. Adsint vel sub impunitate (quæ jamdiu in Curia Romana illis offertur, sed criminis conscientia diffidunt) quorum interest. Interim me arbitrio superiorum, dissertationem hanc, & quæ illam consequuntur, submitto, publici juris facio & subscribo. Mediolani tertio Non. Octob. 1633.

M. Franciscus Roales.

IMPRIMATVR.

Fr. Franciscus Carenus, Lector Theologus Vicarius S. Officij Mediolani.

Joh. Paulus Mazuchellus pro Reverendiss. D. Vicario Generali Curiæ Archiep.

Comes Majoragius pro excellentiss. Senatu.

Multi

Johannes Baptista Poza Societ. Jesu Theologus in principio Apologiæ Miscellaneæ, quæ exstat Romæ penes D. Franciscum Roalem.

MVlti ex nostræ Societatis devotis & amicis non sine causa admirantur & scitè desiderant, cujusmodi nova occasio ex parte nostra data fuerit ad tempestatem tam generalem & publicam contra Societatem nuper coortam: ita ut ex pulpitis & cathedris, tum in congressibus privatis, non aliter de nobis verba fiant, ac de genere hominum de pergravibus delictis jam convictorum, & obsequium Deo ac Reipubl. præstari existimetur, si crimina nostra publicentur, ut universi nos cognoscant, sibique à nobis caveant, tanquam à genere ficto & fraudulento, ab hominibus ambitiosis & ubique se admiscentibus, lucrum captantibus, & opum cumulandarum avidis, adulatoribus Principum, quorum favores & familiaritates veritate venundata captemus, hostibus vitæ strictioris, amicis deliciarum, quodque pejus est; de doctrinæ pravitate suspectis, contemtoribus sanctorum Doctorum, amicis novitatum & pacis publicæ turbatoribus. Quæ omnia, & alia eorum similia atque etiam deteriora, quoniam non dicuntur ab hominibus plebeiis, sed à viris gravibus, doctis & religiosis, non in qualicunque loco, sed pro concione: sicut probabiliter ex bona intentione nascuntur, ita minimè dubium est quin minore scrupulo dicantur, & majore credulitate audiantur, quàm Christianæ veritati sit consentaneum.

Idem in Brevi Relatione de turbis Salmanticensibus annorum 1626. 1627. & 1628.

Inter Magnas persecutiones, quæ in diversis Christiani orbis provinciis Societatem Jesu afflixerunt: Historiam & styli operam meretur incendium proximis annis contra eam in Salmanticensi Academia exortum: ubi æmulatio contra Societatis filios concitavit primarias Europæ Vniversitates, illustriores Ecclesiæ Ordines religiosos, personas propter auctoritatem & doctrinam maximi in regnis Castellæ nominis: ut Societatem in eo vulnerarent, quod in ea maximi pretii æstimatur, nimirum in juventutis institutione, in doctrinæ ejus

 secu-

securitate, in morum integritate, & instituti sui professione.

Ibidem cap. VII.

Hispaniæ Vniversitates ad Regem Catholicum typis publicarunt memorialem libellum adversus Societatem nostram. In eo homines nostros vocant arrogantes, ambitiosos, avaros, insatiabiles, suspectos de ingentibus furtis regiorum vectigalium, assentatores & adulatores, impostores pietatis velo tectos, importunos & Regi molestos, promissores rerum profanarum piaculo non vacantium, tanquam professionis mathematum, rei militaris & rei nauticæ, Religiosos cum opibus & Aulicismo, implicantes se occupationibus & negotiis sæcularibus, interversores veritatis, infamatores virtutis, duplices mendaces, veri occultatores, eversores regni, lupos in vestimentis ovium, immunitatem ab omni jure & lege sibi postulantes, homines diabolicæ industriæ, Cacodæmones, inimicos doctrinæ divi Thomæ aliorumque veterum Patrum ac Doctorum.

P. Provincialis Societatis Jesu in Moravia, in epistola ad Abbatem quendam Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarium.

Venit hora, in qua arbitrabatur QVISQVE, obsequium se præstare Deo, cum de Jesuitis MALA OMNIA suspicatur & sentit & loquitur. Nec Religiosus pene ullus, nec Politicus (*seu sæcularis Catholicus*) nec Hæreticus Jesuitas aut religiose vivere, aut veritatem loqui existimat.

Oseæ VIII.

Factus est in nationibus, quasi vas immundum.

FINIS.

S.D.N.

S. D. N.
Dn. Vrbani divina providentia
Papæ VIII.

SVPPRESSIO

Prætensæ Congregationis Jesuitissarum.

Isai. 27.

Mulieres venientes & docentes eos: Non est enim populus sapiens.

ROMÆ

Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.
M. DC. XXXII.

VRBANVS

EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI ad perpetuam rei memoriam, &c

PASTORALIS Romani Pontificis, cui cura Vineæ Domini Sabaoth ineffabili superni Patrisfamilias providentiâ concredita esse dignoscitur, Solicitudo in id præcipue incumbit, ne in agrum Dominicum operarii sine delectu temerè se ingerant, sata dissipent, consita evellant, zizania inferant, & adulterinas in eo plantas superinducant. Licet autem orthodoxis Lateranensis & Lugdunensis Conciliorum generalium ordinationibus districte prohibitum esset, ne quis novæ Religionis instituendæ Auctoritatem sibi arrogare præsumeret, pariterque fel. rec. Joannis XXII virorum, & piæ mem. Clementis V Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum, Salutaribus Constitutionibus mulierum cœtus Auctoritate privatâ, et de facto instituti, tanquam exitiosi palmites, damnati et sublati fuissent, et nihilominus (prout non sine gravi animi nostri molestiâ acceperamus) in non-

nullis

nullis Italiæ & Ultramontanis partibus, certæ mulieres seu Virgines Jesuitissarum nomine assumpto, citra ullam Sedis Apostolicæ approbationem ab aliquot annis in unum venire solitæ, vitæ Religiosæ ducendæ prætextu peculiarem, & distinctum à cæteris habitum usurpassent, ædificia in Collegiorum formam redegissent, domos probationum erexissent, in eisque superiorem, ac prætensæ Congregationis suæ Generalem indito Præpositæ titulo,& attributis facultatibus bene visis constituissent, in illiusque manibus, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ vota, ad instar solemnium emittere, clausuræque legibus non adstrictæ, pro libitu divagari,ac specie salutis animarum promovendæ, aliaque opera permulta sexus & ingenii imbecillitati & modestiæ muliebri, ac virginali præsertim pudori minimè convenientia, & quæ viri sacrarum litterarum scientiâ, rerum usu, vitæque Innocentiâ spectatissimi, difficile admodum, & non nisi magna circumspectione adhibita aggrediuntur, attentare, & exercere consuevissent. Nos excrescentes in agro militantis Ecclesiæ vepres maturè evellere satagantes, venerabili Fratri Aloysio Episcopo Tricariensi, nostro & Apostolicæ Sedis in partibus inferioris Germaniæ Nuncio, & nonnullis locorum Ordinariis dedimus in mandatis,quatenus propositis gravibus periculis,& scandalis exinde resultantibus, mulieres, seu Virgines præfatas ex parte nostra Apostolica serio monitas à temerario incepto,ad saniora consilia revocare conarentur, verum quia illæ Dei timore, ac nostro & Sedis Apostolicæ respectu posthabito in grave animarum suarum præjudicium,& bonorum omnium offensionem, arroganti contumaciâ, paternis & salutaribus nostris nedum paruerunt, sed etiam indies similia attentare, ac multa sanè doctrinæ adversantia proferre non erubescunt: Nos tantam temeritatem acriori Censura coërcendam, & plantas istas Ecclesiæ Dei noxias, ne ulterius se diffundant, radicitus evellendas & extirpandas esse decrevimus. Habita itaque cum Venerabilibus Fratribus nostris, S.R.D. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus,

bus, ab eadem Sede ſpecialiter deputatis, matura conſultatione, de illorum unanimi conſilio & aſſenſu, Conciliorum præfatorum decretis, eorundemque Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes prætenſam Congregationem mulierum, ſeu Virginum Jeſuitiſſarum nuncupatarum, illarumque Sectam, & ſtatum ab ortus ſui primordio nullos & invalidos, nulliusque roboris vel momenti fuiſſe et eſſe, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium decernimus, declaramus. Et quia de facto proceſſerunt, eadem Auctoritate, & penitus ſupprimimus omnino et extinguimus, perpetuæque abolitioni ſubjicimus, et ab Eccleſia Dei ſacroſancta funditus tollimus, delemus, et abrogamus, ac pro ſuppreſſis, extinctis, evulſis, deletis, et abolitis ab omnibus Chriſti fidelibus haberi et reputari volumus, et mandamus, nec mulieres et Virgines hujuſmodi ad votorum præfatorum obſervationem ullo modo teneri, aut obligari volumus. Inſuper aſſertas viſitatrices, Rectrices, et Prępoſitam Generalem, ac alias quaſcunque Congregationis, et Sectæ hujuſmodi officiales, quocunque nomine appellatas, officiis et muneribus ſuis de facto uſurpatis, omnino privatas eſſe, & fore decernimus pariter et declaramus, et quatenus opus ſit, privamus, illasque ab eisdem officiis & muneribus omninò amovemus, easque omnes & ſingulas mulieres, ſeu Virgines, quæ voti, ſeu uniuscunque alterius vinculi promiſſionis, vel cujusvis cauſæ prætextu ad aliquam Obedientiam ſe obligatas putarent, ab ea, & quocunq; vinculo, & promiſſione hujuſmodi, etiam ratâ, & juratâ abſolvimus, & totaliter liberamus. Adhæc mulieribus ſeu Virginibus, & aſſertis earum ſuperioribus, præfato, & quocunque alio nomine nuncupatis, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub Excommunicationis majoris pœna ipſo facto incurrenda, à qua nonniſi à nobis ſeu Rom Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtitutæ abſolvi poſſint, præcipimus, & mandamus, ut extra hujuſmodi Collegia & domos, ubi hactenus habitarunt, aliæ ab aliis ſeorſim degant, nec inſimul ad aliquod ſpirituale, et temporale, conſultan-

dum, seu peragendum, aut de eo quovis modo tractandum conveniant, susceptum per eas de facto, ut præfertur, habitum statim deponant, nec illum amplius reassumant, minusque alias virgines, seu mulieres ad illum admittant, vel recipiant, nec ulli earum ad hoc consilium, auxilium, vel favorem, directè, aut alias quomodolibet præstent, vel pro Religiosis seu prætensæ Congregationis aut Sectæ hujusmodi sequacibus ullo modo se gerant, mulieres etiam ac virgines, quæ eo animo vota, licet de facto, ut præfertur, emiserunt, uti in illo statu ab Apostolica sede reprobato, ea emissuræ non fuissent, utpote conditione, sub qua tacite voverent, non impleta, à votorum hujusmodi obligatione omnino solutas, et liberas esse declaramus. Quæ autem in quemcunque eventum vovere voluerunt, cum earum vota sint singelicia, honestè vivere, seorsum tamen ab aliis hujus reprobati Status ac prætensæ Congregationis, seu Sectæ, & ab omnibus suprà prohibitis abstinentes in sæculo, poterunt sub Ordinarii Obedientia, & cum usu non dominio bonorum, sed tantum cum facultate, quam illis misericorditer concedimus, de illis in vita & in morte, ad usus pios digerendi ab intestato etiam ad eos devolvendi, qui Paupertatis voto ab his mulieribus non emisso, illis successuri fuissent. Et in eventum, in quem aliquæ ex mulieribus seu virginibus præfatis, ad conjugalem statum transire voluerint, eis permittimus, ut Matrimonium, servatis aliàs servandis contrahere possint, eisque Apost. Benedictionem, & quatenus opus sit, cum omnium votorum de facto, ut præfertur, emissorum relaxatione impertimur. Quoniam vero secundum Apostolum, qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit, easdem mulieres & Virgines per viscera misericordiæ Christi, quo possumus, paterno charitatis affectu monemus, & in Dominum hortamur attentè, ut desiderii, quo se Regularis vitæ ducendæ teneri ostenderunt, memores, tollant jugum Domini super se, & abnegantes semetipsas, & sæcularia desideria, approbatum ab eadem sancta Sede aliquem Sanctimonialium Or-

dinem

dinem quanto citius ingrediantur, inibique fideli & pia promissione vota voveant DEO JACOB, & innocentes manibus & mundo corde, in assiduo Spiritualium operum exercitio superædificantes, exhibeant se illustriorem gregis Christi portionem, lampadesque suas flammâ Charitatis succensas prudenter aptent sponso Cœlesti obviam ituræ, Decernentes præsentes litteras, omniaque & singula in eis contenta etiam ex eo, quod prætensæ Congregationis vel Sectæ mulieres aut Virgines hujusmodi, vel alii quicunque in præmissis seu eorũ aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocatæ & auditæ, seu vocati & auditi, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, Nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato & substantiali, sive etiam ex eo quod in præmissis seu eorum aliaquo solemnitates, & quævis alia servanda & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio Capite à Jure, vel facto aut statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocunque alio colore, etiam in corpore Juris clauso seu occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi & aliis superius expressis, seu relatis, nihil alibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversus illos restitutiones in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & Terminos Juris, aut aliud quodcunque Juris, facti, gratiæ, vel Justitiæ, remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu juvari in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium aut dissimilium gratiarum revocationi-

tionibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendi, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari, sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Judices, ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuncios, aut alias quavis Autoritate, & potestate fungentes in quavis causâ & Instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & Auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his â quoquam quavis Auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis nostris & Apostolicæ Sedis Nunciis, nec non Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis, ubilibet existentibus, per Apostolica scripta mandamus, ut statim atque præsentes nostræ litteræ, ad eorum, & cujuslibet eorum notitiam, quoquo modo pervenerint, illas solemniter publicent, & publicari faciant, ac in eis contenta quæcunque debitæ executioni demandent, & demandari procurent, per se vel alium, seu alios prout in Domino judicaverint expediri. Contradictores quoslibet & Rebelles ac præmissis non parentes, per sententias, Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, et facti remedia, omni et quacunque appellatione, recursu, et reclamatione remotis compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus, quatenus opus sit recolendæ memoriæ, Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, de una et in concilio generali edita de duobus dictis cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Vt autem præsentes, et in eis contenta quæcunque, ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de ejus ignorantia prætendere possit,

possit, volumus pariter & mandamus, quod eædem præsentes, per aliquem, seu aliquos ex cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, nec nõ Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie campi Floræ affigantur, et publicentur, et cũ inde amovebuntur earum Exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicatæ et affixæ post duos menses à die publicationis computandos, omnes et singulos quos concernunt, perinde afficiant, et arctent, ac si unicuiq; illorũ personaliter notificatæ et intimatæ fuissẽt, quodq; illarũ transsumptis impressis Sigillo alicuj9 Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, et manu alicujus Notarii publici subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis extinctionis, subjectionis, ablationis, deletionis, abrogationis, liberationis, præcepti, declarationũ, decretorum, privationis, amotionis, absolutionis, permissionis, impartitionis, monitionis, hortationis, voluntatũ et mandatorũ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis DEI, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Rom ap. S. Petrum. Ao. Incarn. M.DC.XXXI. Id. Jan Pontif. nostri octavo.

Eg. Dat. A. Rondininus.

Visa de Curia A. Hurandus.

G. Montanus. &c.

MAGISTRATA IN SECRETARIA BREVIVM.

IN DEI nomine, Amen. Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1631. die verò 21. Mensis Maij, Indictione 14. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Vrbani, divina providentia Papæ Octavi Anno ejus octavo.

Suprà dictæ litteræ Apostolicæ publicatæ & affixæ fuerunt ac dimissis copiis ad Basilicas SS. Joannis Lateranens. nec non Principis Apostolorum urbis, & in Cancellaria Apostolica in acie campi floræ, &c.

Matthias Spada M. Cursorum.

SOCIETATIS JESV

NOVVM FIDEI SYMBOLVM.

In Hispania promulgatum :

Ejusdem

Notio Censoria in Symbolum Apostolorum.

Habac. 1.

Adspicite in gentibus & videte & admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur.

Jesuiticum Fidei Symbolum, velut Canticum novum:

Ex Johan. Baptistæ Pozæ libris conflatum, unaque cum documentis necessariis ab Hispanicarum Academiarum Procuratore S. Inquisitionis Consilio Madriti exhibitum, & ad Sacrosanctum Romanæ Inquisitionis Tribunal deportatum à Francisco Roales Theologo Salmanticensi & Catholici Hispaniarum Regis Sacellano.

I. CRedo in duos Deos, quorum unus filii pater & mater est metaphoricè in generatione æterna: alter metaphoricè mater & pater est in generatione temporali: cui consequens est, ut tam Deo patri, quam B. Virgini nomen Matripater conveniat, tanquam uterque Hermaphroditus esset vel Androgynus.

II. Credo in Jesum Christum, unicum utriusque filium metaphoricum secundum æternam & temporalem generationem.

III. Credo Jesum Christum, ut hominem, fuisse conceptum & natum de Maria Virgine tanquam patre & matre metaphoricè per virtutem paternam & maternam.

IV. Cre-

IV. Credo eundem passum & mortuum non verè & realiter, eo quod mori non potuit.

V. Credo eum fuisse sepultum, etsi verè & realiter non mortuum.

VI. Credo animam ejus descendisse ad inferos metaphoricè, cùm à corpore non fuerit separata.

VII. Credo eâdem metaphorâ eum à mortuis resurrexisse, qua fuit mortuus.

VIII. Credo eum adscendisse in cœlos, sedere ad dextram patris & venturum ut judicet alios viventes, alios etiamnum mortuos.

IX. Credo in Spiritum sanctum, qui locutus est per prophetas nonnunquam deceptos.

X. Credo Ecclesiam ex majori parte sanctam, & sanctorum communionem.

XI. Credo remissionem peccatorum per repentinum Spiritus sancti adventum super impios.

XII. Credo resurrectionem carnis ex majore ejus parte, & vitam æternam non sine aliqua oppositi formidine.

Habet hic Lector specimen novæ Jesuitarum doctrinæ, qua illi Hispaniam imbuerunt, & magnam partem à doctrina, quam Ecclesia Romana didicit, alienarunt, ut jam Hispaniæ eadem de Religione dissidia & bella civilia metuenda sint, quæ Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam, aliasq́ Europæ regiones tam misere vastarunt, nisi tamen Hispani alienis malis doctiores facti ad saniora consilia receptum habent, & Spiritus sancti monita exsequuntur. Proverb. 26. *Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis: susurrone detracto, jurgia conquiescunt.* Proverb. 22. *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ.*

Impia, scelerata & horrenda Anglicorum & Hispanicorum Jesuitarum Censura in Symbolum Apostolorum, ad explodendam non modò Pariensium Theologorum, sed & Sedis Apostolicæ Censuram, typis publicata.

Ex

Ex Admonitione Jesuitarum ad Lectorem

MEritò ac prudenter timuimus, ne Theologi Parisienses homines versipelles ac subdoli ipsum fidei Christianæ Symbolum pari licentia & temeritate (ac nostros duos libros) profanent. Quorum conatus sacrilegos ut pro ea, qua pollemus auctoritate præveniamus, è re Catholica futurum arbitramur, idem Symbolum nostra Censura castigatum Catholicis omnibus proponere, ne quid in eo deinceps supersit, quod incautis Lectoribus offendiculum objiciat.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ,

Primus iste Articulus si intelligatur, quasi solus Pater sit Deus, & omnipotens, & creator, filius autem & Spiritus sanctus solum creaturæ sint: propositio est impia, blaspema, individuæ Trinitatis destructiva, & pridem in sacro & Oecumenico Concilio 318. Episcoporum adversus Arii impietatem damnata. Quatenus autem soli Patri creationem attribuit, nova est, temeraria, erronea, contra communem Ecclesiæ Patrum ac Theologorum omnium sensum prolata, cum hactenus receptum sit tanquam inviolabile decretum, omnes Trinitatis actiones ad extra esse indivisibiliter toti Trinitati cõmunes.

Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum.

Tota hæc propositio captiosa est & fallax, in quantum omittit Jesum Christum Filium esse naturalem & consubstantialem Patri. Sic enim periculosa est & doctrinam inducit hæreticam sæpius ab Ecclesia in Conciliis Nicæno, Ephesino & Francofordiensi præsente Carolo Magno damnatam. 2. ratione particulæ unicum, omissa præsertim Consubstantialis aut Naturalis. Sic enim quatenus propositio etiam extenditur ad filios adoptivos, de quibus ipse Dominus Psalm. 81. ait: Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. Et Apostolus Rom. 8. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Si autem filii & hæredes;

redes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; falsa est; piarum aurium offensiva, & justis omnibus & sanctis injuriosa. 3. Quatenus esse Dominum, quod indivisa proprietate tribus divinis personis æqualiter convenit, soli filio attribuit, oblique insinuans, unicam esse divinam personam, quæ modò Patris, modò filii, modò Spiritus Sancti appellatione significatur, hoc jam pridem adversus Sabellium universa Ecclesia tanquam impium atque hæreticum damnavit.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

Tota hæc propositio æquivocatione laborat, quæ inducere potest in hæresin propter ambiguas particulas De, & Ex: & quia ordinarie de habitudine importat principii componentis, juxta quam innuitur Dominum nostrum de substantia Spiritus sancti factum esse, & ita Spiritum sanctum vere dici posse Patrem Christi. Ideo propositio in hoc sensu falsa est, dolosa, hæretica, & divinarum originum confusionem atque eversionem inducens. Similiter quoniam tam particula De, quam particula Ex, consueto more loquendi habitudinem prioris & posterioris includit, & catenus insinuare videtur, Christum posteriorem Spiritu sancto, & ante Mariam non fuisse, qvod pridem adversus Nestorium tanquam falsum & hæreticum damnatum est: ideo propositio hoc sensu intellecta hæretica est. Denique si ita Christus dicitur natus ex Maria Virgine, ut quicquid in Christo est, ex ea natū statuatur, quasi virgo etiam dici possit Mater divinitatis, in hoc sensu propositio falsa atque hæretica est, & in consequentia valdè periculosa.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

Hæc propositio ambigua est, & aliquo sensu hæretica: nam cum proprie in cæteris rebus ita actiones & passiones sunt suppositorum, ut etiam naturæ ejus propria & hypostasis attribuantur, & ob hanc causam mortua vel abscissa manu non recte propterea homo mortuus dicatur, n si ipsa natura hu-

mana dissolvatur, ideo periculosa est propositio, & juxta obvium illic sensum intellecta, quasi divinitas aliquid passa, vel mortua fuerit, non solum hæretica est, sed etiam impia & blasphema.

Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

In hac propositione quatenus verbum Descendit, relatum ad personam Christi, insinuare videtur, ipsam quoque divinitatem ad inferos descendisse, cum tamen divinitas propter immensitatem ubique existens moveri non possit à loco in locum, ac proinde non adscendere in cœlum nec ad inferos descendere, ideo periculosa est & inducere potest in errorem. Intellecta verò de anima Christi, si sensus sit animam Christi ad pœnas inferni descendisse, & eas reipsa sustinuisse, propositio est hæretica, scandalosa, piarum aurium offensiva, & ex Calvini doctrina lib.2. cap.16.

Adscendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.

Ista quoque propositio intellecta de ascensione Christi in cœlum secundum divinitatem, perinde ut superior, falsa & erronea est. Quatenus autem affirmat, Christum sedere indefinitè, ac proinde etiam universaliter id pro omni tempore statuere videtur; ideo si ita intelligatur, Christum semper sedere, ut neque stet unquam, neque etiam de loco in locum moveatur, cum & stet, & Sanctus Stephanus stantem eum in cœlo viderit, & Johannes Apoc.14. de Virginibus dicat, eas Agnum perpetuo sequi quocunque ipse ierit, propositio sic intellecta temeraria est, & expresso Dei verbo contraria. Denique in quantum hæc eadem propositio Deo Patri dextram attribuit, Anthropomorphitarum hæresin redolet, & in eum errorem inducit.

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Ista propositio quatenus ita asserit Christum ita judicaturum esse vivos & mortuos, ut negare videatur, Patrem & Spiritum Sanctum judicaturos, cum hæc actio suprema atq; adeo divinæ authoritatis sit, eaque externa, ac proinde toti Trinita-

ti communis; ideoque propoſitio hac ratione ad ſolam perſonam Chriſti, multoque magis ad ſolam ejus naturam humanam limitata, falſa, temeraria & erronea eſt. Quatenus autem eadem quoque propoſitio aſſerit, Chriſtum judicaturum eſſe non modo mortuos, ſed etiam vivos, ambigua eſt & fallax. Vnde ſi ſenſus eſt, quosdam homines non eſſe morituros, non prius vita defunctos ad judicium eſſe perducendos, propoſitio nova eſt, temeraria, falſa & erronea, nec nõ Verbo Dei & communi Patrum totiusque Eccleſiæ ſenſui contraria.

Credo in Spiritum Sanctum.

Hæc propoſitio malignè propoſita eſt & ex affectata brevitate meritò ſuſpecta haberi poteſt. Subdolè enim Spiritus Sancti divinitatem, ejusque à patre & filio proceſsionem tacet. Proinde Arianam hæreſin redolet, ſchiſmati Græcorum obliquè favet, individuamque Trinitatem diſſolvit.

Itemque tota explicatio divinæ atque individuæ Trinitatis octo iſtis articulis comprehenſa, manca & periculoſa eſt, avertitque fidelem populum à cultu & reverentia tribus divinis perſonis indiviſe atque inſeparabiliter debita, & ſub prætextu brevitatis & non neceſſariæ explicationis ſubdolè totum Trinitatis myſterium evertit, cum tamen perfecta ejus & explicata fides medium ſit ad ſalutem neceſſarium. Vixque tota hæc doctrina excuſari poteſt à dolo, quod nullam de Filii aut Spiritus Sancti divinitate, aut etiam æternitate mentionem faciat, ſed contrarium de Filio in articulo tertio inſinuet.

Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

Propoſitio hæc multiplici periculoſa æquivocatione & affectata obſcuritate errorem tegit. Inprimis enim ambiguum & obſcurum eſt quid ſit credere Sanctam Eccleſiam Catholicam. Et ſi ſenſus eſt, adhibendam eſſe fidem definitionibus Eccleſiæ cum excluſione definitionum, quæ fieri poſſent à ſolo ejus capite, quaſi Papa extra Concilium nihil definire posſit, quod ſit de fide; propoſitio eſt temeraria, ſcandaloſa & ſum-

mo Pontifici vehementer injuriosa. Deinde dubium est, quo sensu Ecclesiam dicat esse Sanctam. Et si sensus sit, solos Sanctos & non multos malos contineri, propositio falsa, hæretica & Verbo Dei communique Patrum sensui contraria est. Eodemque modo rejiciendum est, quod de Sanctorum communione adjungitur, si inter solos Sanctos bonorum spiritualium communio admittatur, cum fide certum sit, omnes qui in Ecclesia sunt, tam bonos quam malos, in bonorum spiritualium saltem aliquorum participatione uniri. At si per Communionem Sanctorum non tantum bonorum, spiritualium saltem, sed quorumcunque etiam aliorum Communio intelligeretur, propositio esset absurda, à fide & recta ratione aliena, & Anabaptistarum confusionem induceret.

Remissionem peccatorum.

Ista quoque propositio sub his generalibus terminis concepta, vel falsa, vel periculosa est. Intellecta enim de perfecta & absoluta peccatorum omnium, etiam eorum, quæ quotidie committimus, remissione jam à Christo facta, & nobis semel in Baptismo applicata: hoc sensu hæretica est, & Sacramenti Pœnitentiæ destructiva.

Carnis Resurrectionem.

Si intelligatur de Resurrectione, quasi jam facta & amplius non sit futura, propositio hæretica est, jam olim ab Hymenæo & Phileto asserta, & ab ipso Apostolo 2. Timoth. 2. damnata. Intellecta vero de Resurrectione futura, sed de carne animali, hoc est, quæ iisdem animalibus desideriis, operationibus ac necessitatibus subjecta sit: propositio falsa atque erronea est, & Mahometis impietatem sapit contra expressam verbi divini auctoritatem 1. Cor. 15.

Vitam æternam.

Hæc propositio quatenus indefinitè proponitur, atque ita universaliter extenditur ad omnes, excludendo mortem æternam, qua injusti punientur, falsa, scandalosa & hæretica est, januamque vitiis omnibus aperit, & Atheistarum hujus temporis impietatem atque insaniam sapit.

ADHVC

ADHVC NOTIO CENSORIA Jesuitarum.

HEM, ista est prudentia & justitia, qua se Jesuitæ venditant, ut qui suas novitates Romanis & Parisiensibus Censoribus probare non possunt, merito & prudenter in eo facere se jactitent, quod ipsa Spiritus sancti verba, nunquam nisi cum veneratione & horrore quodam tractanda, ad incudem vocant, & ingeniorum suorum lasciviæ ac petulantiæ subjiciunt, vereque obscœnarum Harpyjarum instar contactu immundo fœdare non dubitant.

Sed hac de re plura Lector inveniet in Alphonsi de Vargas Relatione de Stratagematis & Sophismatis Societatis JESV.

FINIS.

Qui estoit ce Caspar Scioppius & son histoire abbregée
Voy. les lettres de patin
tom. j.er pag.
96. 97.

LVCII CORNELII
EVROPÆI
SIVE CASPARIS SCIIOPPII
MONARCHIA
SOLIPSORVM
(JESVITARVM)

Ad Virum Clarissimum

LEONEM ALLATIVM.

EDITIO NOVA

In qua

Cuilibet ferè nomini occulto significatio in Parenthesi additur.

Juxta exemplar VENETVM
CIↃ.DC. LXV.

J. O. Tabor in princip. praefat. ad disputat. V. (Edita Gissae 1663. 4°.) de confrontatione innuit Caspar. Scioppium.
Ch. Bellerus in notis ad praefat. politici Scelerati Impugnati pag. 9. Indicat Nicolaum Inckhofferum his verbis. Monarchiam Solipsorum perhibent scripsisse quempiam patrem ex Societate. N. Inckhofferum Germanum, postea Romam profectum, nunquam reversum.

TIMOTHÆVS CVRSANTIVS LEONI ALLATIO S.



EDIT *in Vrbem, Clarissime Leo, Liber* DE MONARCHIA SEV REGNO SOLIPSORVM, (Jesuitarum) *quem* LVCIVS CORNELIVS EVROPÆVS *ex longinqua, longævaq; peregrinatione redux, si isthic primùm cæpit, hic certè perfecit. Profecturus verò ad visenda Sacra Palæstinæ loca, nec unquam si rectè præsagiebat rediturus, supremum partum mihi commendavit, ut quid eo factum vellem, ratum esset. Visum est talis ingenii, quale tu cum eruditis æstimare soles, monumentum, Reip. literariæ, nisi etiam totius Orbis bono, publico juri permittere. An alibi alia specimina reliquerit; clam me est; illud constat nisi inter Solipsos, (Jesuitas) rubiginâsset, & copia, & splendore, inter summates literarum viros, fuisse radiaturum. Sic ingenio & diligentia factus erat. Porrò vera ne sint, an veri umbræ, & potius agendorum cavendorum in Politicis delineamenta, quæ hic tradit, tu videris. Mihi quidem, & viris præstantibus, qui mecum sunt; argumentum præferunt, & styli gratia, & narrationibus animum oblectantibus, amœnum. Hoc si in cortice, sub involucris opimum latere nucleum credas, quo curiosius secto, præclarissima ad mores omnium in quocunque statu, humano ritu viventium formandos, capere liceat documenta. Plura tu eruditorum in urbe facilè Coriphæe, sagaciter conjeceris. Mihi sat fuerit, publico bono favisse, & tibi hujusmodi dono, quo delectari soles, gratificari Vale.*

LVCII CORNELII EVROPÆI MONARCHIA SOLIPSORVM (*Jesuitarum*)

REgnum, Monarchiam, an Rempublicam dicere debueram, hæreo: tu videris. Mihi vocabula, nec Aristoteles, nec

nec Plutarchus, nec Tacitus, nec antiquissimus omnium Plato suggerunt. Nova facies est regiminis, nostro hemisphærio ignota; admirabilis tamen, & digna scitu, ad formandos populi, Principumque mores, ad conservandum boni publici statum, ad acquirendas, tuendasque opes, ad cumulum, si quæ est, humanæ felicitatis. Mirâ regni cum Sacerdotio, prudentiæ cum simulatione, magnificentiæ cum splendoris contemtu, præparcitatis cum immensa potentia consensione. Operæ pretium foret, de Cœlo & situ Regni, de vastitate ditionis, populorumque confiniis Lectorem initio docere. Sed hactenus nulli mortalium qui in illud penetravit, rem factu facilem postremus ego non tentabo, qui cum Vlysse Homerico multas hominum ejus Regni videns Vrbes, & mores, de Cœli positione nihil certi servare novi. Nam & constitutio Vniversi apud eos longè diversa, & populorum numerus, nominaque varia, quibus & Luna sæpius Verticalis, quam Sol in meridie: nulla loci, vel situs differentia, ut quod sursum, perinde & dextrum; quod sinistrum, idem imum; centrum denique nec unum, nec fixum. Tanta diversitatis ratio, Monarchæ (*Præpositi Generalis Societatis*) stat arbitrio. Quod hic decernit, id solum ratum habetur, quicquid ratio, vel sensus reluctetur, ut nisi vapulare placet, non replices, nec nisi contra mentem & sensum affirmes, gratiam apponas, Credes experto. Tanto aliquando imbre Civitas Regia immaduit, subtractis ubique nubium densitate Solis radiis, ut nec cymbæ, nec lucernæ sufficerent, cumque admirabundus omnia nocte confusa exclamarem; & tacere, & Solem in meridie splendescere, & nihil non siccum esse, profiteri sum jussus, tametsi velut imbrice vestibus aqua defflueret; Monarchę ita placere movebant Apparitores, à cujus nutu, si recederem, pœna deportationis, si obsisterem, mortis foret. Satìs puto causę habeo, cur à descriptione abstineam, ne si aliquando in id Regni fortuna te appellat, si omnia mutata offendas, me tibi hoc scripto imposuisse conquerari s. Quippe ea me duntaxat tradere noveris, quæ per annos quin-

que & quadraginta, quibus Regna Solipſorum (*Jeſuitarum*) incolui à prima adoleſcentia vel vidi, vel audivi, vel ex publicis Regni codicibus clam deſcripſi. Quæ ſicut meo tempore indies mutationem ſubibant, ita in poſterum inconſtantiæ ſubdenda, hiſque lucubrationibus haud conſenſura, nullus dubito; ut hoc ſolum, perpetuum apud illos tenorem ſervare affirmaris, omnia ad Monarchæ nutum, præter ejusdem forum demutari.

CAPUT II.

Occaſio adeundi Regni Solipſorum (Jeſuitarum)

ANtequam narrare de Regno Solipſorum (*Jeſuitarum*) incipiam, delectabit paucis exponere, qui me turbo Europæ, imò toti huic hemisphærio abreptum in incognitas plagas ejecerit. Natus in florentiſſimo Europæ regno, ubi aves aquas findunt, vix pueritiæ metas egreſſus, Romam à parentibus ſtudiorum cauſa ſum miſſus, Clemens VIII. Pontifex, non multò poſt Jubilæum decimi ſexti exeuntis ſæculi edixerat. Hic, poſt humaniores literas, prudentia Juris imbutus, juvenis admodum patrocinia cauſarum ſuſcepi, & Purpuratis placui. Ad magna favor impellebat, niſi præpoſterum fatum incantâſſet. Fortè quaterni ſtudiorum ſodales extra Urbis portam, quæ ad Romanum portum vetuſta fama clarum viam commonſtrat, ad ripam Tyberis amœna & umbroſa ſemita inambulamus; animique cauſa varia ſerentes, mox nonnihil laſſi prope ipſum fluminis alveum, frigidioris auræ captandæ gratia conſidemus. Hic de rerum ſub Sole viciſſitudinibus, de Illuſtrium caſibus, incertis humanorum eventis, dum non ſine ſale fabulamur; inopinos à tergo ſentimus adeſſe ignoti vultûs homines, putâſſes repente ex humo enatos, niſi diu antè in proximo fruteto latitantes noſtras confabulationes obſervâſſent. Ut plenè conſpecti, non amplius levi & ſuſpenſo; ſed preſſiori gradu fidentius aggrediuntur ſedentes & blandè ſatis adſalutant: quid verborum cædimus rogant. Adductæ ſupra genua veſtes & pallia ſuper humeros

complicata, mentumque rasum, & nigra omnia funeratores notabant: mox tamen demissa ad talos toga, palliumque incontemtè explicatum Philosophos ostendebat, ejus generis, quo tum Roma abundabat. Equidem animi pendens magos ariolosque mecum fingebam. Ipsi tamen percepto nostri sermonis argumento, forum nacti, altiùs ordiuntur. Quærunt de patria, de genere, de censu: ubi intellexerunt Romanos partim, partim peregrinos nobiles: omnes, ac opulentos esse; Tum de ætate parentum, officio, de numero fratrum, sororum, consanguineorum, agnatorum. Responsum ad singula, denique genus studiorum percunctati, ad nomen Jurisprudentiæ labra comprimere, nescio, quod torvum oculis ac fronte præferre. Et senior ex illis, suspirabundus, ô miseros, inquit, adolescentes, quibus laqueis compediti trahuntur ad Orcum: ecquid vobis Jurisprudentia, quia divites ac nobiles multis benefacere potestis, nemini damno esse, ut lucri cupiditate leguleii solent? Quin potius legibus Solipsorum (*Jesuitarum*) manus nobiscum datis, & potentissimi Monarchæ (*Præpositi generalis societatis*) aulam sequimini, Regnum incomparabile visuri, possessuri. Hic ego suspicatus ejus farinæ homines, qui allegoriis inescantes ad claustra & cucullum tractos vellent: Christiani, ajo omnes sumus, Evangelio credimus, Solipsos non novimus, nec nisi Christi Regis aulam quærimus, & diversis quamvis semitis Christum sequimur sua cuique vocatio, & ductus spiritus, nisi vos aliter sentitis. Nos Deo, Patriæ & nobis nati, vitam mortalibus communem ducturi sumus, donec in libertatem filiorum Dei plenè adsciscamur, atque interim bonis ex alto datis jucundè fruimur. At senior (Apogonites dicebatur) odoratus candidi animi errorem, fore usus momento sumta Melanorum recentioris instituti persona compositoque cum suspiriis ad lachrymas vultu, O fili, inquit, non hæc vera vocatio, sed occulti hostis est dolosa impulsio, cave præcipites, ducens in bonis dies tuos. Christum sequi, mundum contemnere est, abnegare seipsum, & tollere crucem suam, relictis patre &

matre,

matre, omni ſanguinis affectu, rebus omnibus, etiam ſpe habendi. Hæc eſt vera vocatio, quam nos à Deo miſſi, vobis annunciamus. An putatis abſque ſingulari Numinis providentia factum, huc acceſſiſſe? cavete Spiritui Sancto tempore acceptabili reſtiteritis, non aliàs exaudiendi, pœnas in orco æternum daturi. Hæc iſte fictus animum, & pleraque ex ſacris Scripturis, qualia Chriſtus Phariſæis exprobrat, nonnulla etiam ex ſanctis Patribus, illud maximè Hieronymi: *Per calcatum perge patrem, ſolum pietatis genus eſt, hac in re eſſe crudelem.* Jam ſuſpenſi animis hærebant ſocii mutuò ſe intuiti; quos ego velut faſcinatos conſpicatus, ad ſenem concita maſcula bile; deſine, inquam, Barbitrunce Philoſophe, hujuſmodi incantamentis adoleſcentes irretire, ſexcentis ego te Brocardicis obruam, ſi Scripturam torquere pergas, ac ut me fors juvet, ex ſubvulturio venatore faciam te momento piſcatorem Tyberinum. Senſit Apogonites, & torvo ſupercilio, preſſiſque labris neſcio quid obſcuri demurmurans, arrepto, quod ſocius ferebat, vidulo, pulverem improbum illico expedit, omneſque nos, ac me potiſſimum inſpergit. Nec mora, ſoporifera vi ad ima tempora penetrante, in vertiginem actos, arctior, quam ſanos ſolebat ſomnus complexus eſt; objectæ incunctanter, non earum rerum ſpecies, de quibus, ut de Homero ſcribit Ennius vigilantes ſæpè cogitare, & loqui aſſuevimus; verum quicquid vitæ in poſterum agendæ ſeries contineret, confuſæ imagines exhibebant. Nimius ſim recenſendo, quæ ego ipſe vidi, nam ſociorum alia ſcotomata omitto, ſed ea ipſa in hiſtoriam conjicienda ſunt, ne prænarrata non ſapiant, quando quæ de Regno Solipſorum (*Jeſuitarum*) dicturi ſumus perſimillima ſunt ſomniis, vera tamen. Uno hic verbo delectat dicere; dum ſoporati per frigentes calenteſque aëreas plagas, navi, curru, pegaſo interdum vehimur, rapimur, totieſque aliis, atque aliis comitibus ſtipamur (nam bini illi, qui ad Tyberim Romæ incantârant, paulò poſt viſi in turmam ſeſe explicare, humana forma depoſita, evanuerunt) tandem in Regia Solipſorum

(*Jesuitarum*) evigilantes sistimur. Quod iter mihi, cum unius noctis spatium metiretur, triennii curriculo postea à navigantibus definitum est.

CAPUT. III.

Qui successus in Regia Solipsorum (Jesuitarum)

REgnabat Avidius Cluvius (*Claudius Aquaviva Præpos. Societ.*) dictus infractus; manebatque Pricantiburæ in Regia consueta, unde Monarchæ Solipsorum (*Præpositi generales Societatis*) nisi animi gratia, in suburbana, nusquam longiùs recedunt. In Urbe novem numerantur Palatia Monarcharum, (*Præpositorum*) quibus totidem Satrapæ (*Patres assistentes Societatis*) Præfecti hebdomadatim Monarchæ Sacramentum dicunt. Sedes Monarchæ in medio sita, cum Vaticano certat, reliqua paulò minus; substructiones sunt antiqui operis Europæi; nam Solipsi (*Jesuitæ*) artis ædificatoriæ rudes sunt, non naturæ indocilitate, sed assuetudine, sive quia parata semper occupant, sive quia architectonicam, Monarchæ (*præpositi generales*) & Satrapæ (*patres assistentes*) ignari, quibus lubet præscribunt. Hinc repente qui modo sutor erat, Architectus est, & perinde cæmentum coriumque habet. In suburbiis totidem villę deliciarum, iisdem Monarchis (*præpositis generalibus*) inserviunt, paulò longius absunt prædia bina, Mucusalterum (*Tusculanum*) & Tritubirium (*Tibur*) ad humani generis voluptates facta, qua se gravioribus anni partibus curs levandi recipiunt, nectare & ambrosia pasti. Horum comparatione Tusculanæ Romanorum mappalia sunt, & casæ pastoritiæ. Pergo. Huc jam fama prævolârat (ita nihil solertius Emissariis Solipsorum (*Jesuitarum*) fuisse interceptos in Europa, atque adeo in ipsa Urbe Romana, quaternos adolescentes, ingentis operæ pretio; eosque prope horam adfuturos. Ea de causa plurimi extra Regiam Monarchæ (*Præpositi generalis*) jussu effusi, excepere allabentes læto vultu, humana omnes specie, sed versatili persona. Deducimur ad Monarcham (*Præpositum generalem Societatis*) undique

ſepti non cuſtodia, ſed turbæ objectu, ut tum nihil Vrbis ſed nigras tantùm excubias cerneremus. Lux Sabbatica vergebat ad occaſum. Cum primum in conſpectu venimus, proni ad pedes accidentes, ut juſſi ab Apparitoribus, adoramus. Ille ex eburnea ſede annuenti & arridenti ſimilis, bono animo eſſe jubet, ſingulos nomine & patria compellans, & plura, quæ relatu Emiſſariorum jam notata in adverſariis habebat, repetens, per interpretem ſignificat, adeo exacta notitia, ut ſingulorum geneſi, & educationi interfuiſſe videretur. Hærebamus attoniti nos, & paulatim hebeſcente ſenſu, hominem exuebamus: nec de itineris ſucceſſu plura veſtiganti verbum reddidimus. Cum intereà circumſtantes Aulici, exquiſita oratione divinam Monarchæ (*præpoſiti generalis*) ſapientiam coram laudarent, ut qui ex fronte cordium indolem, errore procul noſcere ſit ſolitus, nobis ſtupentibus ac planè ſtupidis. Tum ille Præfecto Ephebiorum traditos commendat, & ut linguam, leges & mores doceat, jubet, menſtruatim de ſingulorum profectu referat, vetito cum civibus & accenſis colloquio, donec patria inſtituta edocti, novo Sacramento pares eſſemus ac interim diligenter curet, ne Europæ deſiderio, procul etiam recordatione teneamur. Ita abducti & non paucis diebus optimè habiti, genioque indulgentes, tandem nullo ritu veſtibus Europæis exuti, gauſapinâ penulâ amicimur. Nunquam ego mihi turpior viſus, nec hominem niſi cum ſimia referre. Ridere tamen capitale erat. Sexennium tenuit diſcendo, ac dediſcendo, niſi quæ ad rem Solipſorum (*Jeſuitarum*) facerent: quo talento, ego qui Juriſconſultus Europæus agnitus fueram, poſteà rationibus Regiis admoveor, mox & Præſidum Provinciarum (*Provincialium Societatis*) aſſeſſor, nonnunquam cauſarum Judex conſtitutus, identidem odia multorum, tandem & Monarchæ indignationem incurri, quod rumor eſſet, ad mores Europæorum omnia me exigere, leges regni corrigere, plus juri naturæ, quam Monarchæ (*Præpoſiti generalis ſocietatis*) auctoritati tribuere, in plerisque dictamina contraria ſectari, & ferere, ver-

re, verbo, plus omnibus Regni Satrapis (*Patribus assistentibus Societatis*) & sapientibus sapere velle. Quæ omnia verè, an calumniosè objecta, fortunam retardarunt, interdum penè afflixerunt, ut mirum sit qua fortitudine animi quinque & quadraginta annos, in genere, gente, omnibus dissona, cum salute fuerim eluctatus.

CAPVT IV.

Antiquitas Monarchiæ Solipsorum (Iesuitarum)

SI gentis vetustatem legibus & Principe solutæ spectes, fabulosa planè sunt, quæ narrant. Nempe regnum suum, antequam Intelligentia rerum creatrix mundum operaretur, in spatiis imaginariis, velut in embryone latitâsse, primumque factitiorum in idea opificis apparuisse. Qui, ne solus foret Universi faber, socios & adjutores sibi destinârat eos, per quos postmodum Solipsorum (*Jesuitarum*) gens propagaretur, ac demum Monarchia instauraretur. Hæc adeò constans apud eos obtinet opinio, ut si contrà sentias, aut non continuò applaudas, proditionis insimuleris. Quærenti mihi interdum de successione gentis, usque ad Brotacanum (*Cantabrum illum S. Ignatium*) primum legislatorem, varias generationes adstruxerunt, involutis adeò hieroglyphis implexas, ut dementire, & dementare viderentur. Postquam tamen in Archivis eorum offendi Pentateuchum, linqua gentis planè in commenta depravatum, longa animadversione deprehendi, similitudine quadam adludere ad ea, quæ in genuina sacra Scriptura longè alio traduntur sensu. Est autem hujusmodi successio. Decreto per aquas humani generis interitu, cum ad viventium speciem servandam Noachus navem condidisset, exclusum forte Aquilæ ovum, in sentinam decidit: hoc, corvus evolare jussus, ne famesceret, rostro sublatum extulit, sed natantibus in unda cadaveribus illectus, demisit. Servatum in aquis ovum, ubi hæ siccatę sunt, solis radiis attractum, in arcu Iridis hæsit; mox autem calore in vitam coactum, edidisse ajunt fortes illos viros, Turris Babyloni-

bylonicæ & confusionis auctores; qui ob audax facinus, peregrinari à Numine jussi, cum Sodomam venissent, liberali hospitio Loth excepti, custodiendæ ejus familiæ curam susceperunt: deinde verò Imperato exitu in Segor stipante: latera uxoris Loth, quia non caverunt, ne ista curiosos oculos ad incendia Sodomorum reflecteret, in eandem salis statuam abierunt. Sic servati aliquot sæculis sunt, donec avulsa pars statuæ à *M*agis *P*haraonis, argumento rerum mirabilium, in Regiam illata est, atque à *P*haraone super pretium habita. In ea parte latebant, quos dixi Solipsorum (*Jesuitarum*) majores. Et hinc ea virtus incentamentorum; quibus Pharao delusus est, hodieque Solipsi (*Jesuitæ*) pollent. Quid plura? elapso Duce Moyse populo Hebræo, cum Pharao furore percitus insequeretur, sumta secum ea salis concreti portione, quo fugientes magica violentia sisteret; contra spem, æstuosi maris vorticibus haustus, id quoque frustum perdidit, sed eo mox aquis soluto, continuò apparuere, qui latebant Heroes, iidemque egregiè saliti, & per omnia maria natantes, quocunque appellebant, salem sapientiæ circumtulerunt. Ita paulatim in generationes, & usque ad hæc tempora propagati, Monarchiam, quam describimus, fundaverunt. Ex hac traditione susceptum, ut Monarchiæ insignia solis radii sint, & arcus Iridis; gloriantur quippe Solipsi, (*Jesuitæ*) se mundum instar solis illuminâsse, mortalibus universis in signum pacis & fœderis sempiterni cum cœlestibus insplenduisse; denique humanum genus veræ sapientiæ sale condivisse. Quare si præsentem Regni statum, & assurgentis Monarchiæ magnitudinem consideres, non admodum antiqua, ac saltem prisca regendi forma non est. Ex Annalibus descriptum habeo tertium seculum haud excedere, à quo exsplendere tanta granditate cœpit, latis à Brotacano (*Cantabro i. e. S. Ignatio*) legibus, quem, & legislatorem postremum; & Regni sic constituti primum Monarcham agnoscunt, veneranturque; rarò ut Brotacanum (*S. Ignatium,*), nisi cernui & reverentes appellent. Barsabbantinous (*D. Con-*

stanti-

ſtantinus Cajetanus, Abbas Benedictinus) ſcriptor celebris, hunc ſuæ gentis Turbolanorum (*Benedictinorum Monachorum,*) ad Solipſos (*Jeſuitas*) miſſum à Rege Chornaminorum (*Monachorum*) tradit, quo ipſos legibus informatos titulo beneficii ſibi obnoxios redderet: contra Saltalcudius Pogonias (*D. Jo. Baptiſta Caſtaldus Theatinus*) nobilis Hiſtoricus, Hyanthesiorum (*Theatinorum*) nationi adſcribit, & à Principe ditionis (*Beato Cajetano Thianeo fundatore Theatinorum*) eadem de cauſa emandatum. Pernegant utrumque Solipſi, (*Jeſuitæ*) & tantam gloriam nolentes eſſe inſititiam, è ſuo ſinu prognatam, ac propemodum autogenithentam immenſæ generationis parentem affirmant. Ita ab ovo ad pomum contentio deducta adhuc pendet.

CAPUT V.

Nomen, Religio & Sacra Solipſorum (Jeſuitarum)

NOmen, antiqua Magogorum lingua, Deorum omnium providentiam ſonat: id ſibi ſummæ gloriæ vertunt Solipſi, non ut cæteris gentibus unum, verum omnes univerſim Deos ſibi adeſſe, & Monarcham revereri. Nonnulli ex Europæis adulati, ita reddiderunt, quaſi ſoli ipſi, tanto Monarchæ ſubditi, etiam apud Europæos, mortalium haberentur beatiſſimi. Id ita Monarchæ arriſit, ut ſingulos ſingulis Satrapiis donaret, excelſæ gloriæ ducens, eo loco apud eos eſſe, quos præ cęteris ſibi ſubdi in votis haberet. Horum exemplo officii monitus, addidi, Solipſos Europæis ſingulos ſoles eſſe, tot mundis illuminandis idoneos: Monarcham tamen ſuper omnes, mille mundis regendis, illuſtrandis parem eſſe, idque totum unius vocabuli Solipſorum myſterio contineri. Nimium dixi, nunquam aliàs magis mentitus, quia captare nunquam doctus. Et placuiſſem præ omnibus, niſi propter veriora Monarchæ favor abdixiſſet. Ne tamen fruſtrà titillâſſem, torquem aureum medii pretii tuli. Hæc de nomine. Religio à pagana diſtat non ſuperſtitione, ſed varietate. Omnium gentium mores, et ritus complexa, omnes nihilominus a-

nus aversata; singularis quædam nullique communis mortalium generi secta est. Quæ credit, non quia à Numine quopiam, verùm quia à Monarcha jubetur, mordicus tenet: Monarchæ dictum illis ratio credendi. Hic summus sacrorum Antistes, à quo provocare, vel ad Numina, nefas. Nulla gens novitatum avidior, unde & opiniosissima, & semel auditi tenax nec paucæ apud Romanos damnatæ sententiæ, illis primæ veritates sunt. Resurrectionem cum Pharisæis admittunt, sed eorum, qui Monarchæ (*Præpositi generalis*) aut subditi sunt, aut amici, aut demum privilegio muniti migrant, quibus solis aditum ad beatorum vitam affirmant, exclusis qui vel re, vel voto Monarchæ favorem non implorant. In quo cum Herodianis ex parte conveniunt, & quatenus arbitrio Monarchæ omnia subjiciunt, cum Saducæis. Quod ad sacra attinet, Egiasas (*Ecclesias*) habent, (sic vocant fana, templa, basilicas) & structura magnificas, & cultu pro more splendidas, arasque in iis auro, gemmis & lapidibus pretiosis luxuriantes, nullo argenti pretio. Existimant in his suorum esse Deorum delitias, alliciendis etiam aliarum gentium Diis factas, quos contemta apud suos paupertate huc migrare credunt. Quot diebus victimas cædunt; in solemnitatibus adhibito vocum, & instrumentorum concentu, sua sacra peragunt. In iis tibiæ utriculares, & crusmata Bætica primas ferunt, mirumque in modum Solipsos (*Jesuitas*) delectant. Ter fere in anno Tutelarium memoriæ Monarcha (*Præpositus generalis Societatis*) ipse (alioqui opertaneus) publicè litat ad aram magnifico apparatu tiara quadrifida, ad significandos quatuor Orbis cardines insignis: latera utrinque stipant lecti ad id munus Satrapæ (*Patres assistentes Societatis*) stolis amicti dibaphis: reliqui ministri magno numero linteati, laici omnes suo quisque munere funguntur, hoc ipso ad horam sacri, quod à Monarcha (*Præposito generali*) ad præsentem usum destinantur, cæteroquin nullo ceremoniarum munerisque habitu, ut apud Europæos Diaconi & Subdiaconi distincti, sed perinde omnes è populo, & plebe Monarchæ (*præpo-*

 siti

siti generalis) nutu censentur idonei, dum togati & sindone semitecti interdum, & synthesiati. Est tamen qui Exorcistam referat lacertosus canum verbero, hic, torta in flagellum cannabe, ubi bestiam conspicatur, nunquam fallente dextera, sic totis viribus atrocem vibrat ictum, ut inter ejulatus ad retrimenta cogat, idque illi præmium redit. Vespertina sacrificia autothyta sunt, procul sacerdote & Levita; Laicus duntaxat synthesiatus, ubi cereos ad aram nullo ordine accendit, continuò latet, ac interim ex editiore pegmate, tibialibus, calamis, modulisque vocum assarum, organicarumque concinitur auditoribus deorsum in coronas distributis, & murmure rauco plaudentibus: ita sacrificium absque sacrorum ministro, virtute arcana consummatur.

Caput VI.

Gymnasia & studia Solipsorum (Jesuitarum)

HAbent gymnasia pro ratione Urbium splendidi operis. In iis magno discipulorum concursu docent artes, & scientias ex instituto gentis. Principiis tradendis plures annos terunt, tracta in dispendium juventute. Quæ tum maximè censetur profecisse, cum theatricis exercita ludis, spectatorum oculos novit mancipare, specie & ingenio juxtà certantibus. Huic fascino, cæteris neglectis, omne studium impenditur. Leguntur idcirco adolescentes comtuli, venusta corporis agilitate quaquaversum facti, sive ad modos choreis plaudendum sit, sive graphicè ad pyrrichen saltandum, quorum vel si lingua taceat, forma perquam eleganter in utroque foro peroret. Ita capiunt plerosque, capiunturque vicissim, à vulturiis altius erudiendi. Et licet cati evadant plagas, ingeniis ad theatra assuetis, doctrina est gesticulatio, cum pronitate, an procacitate fandi agendi, conjuncta: Ut nobilissimorum liberi, qui nuper vocabulo Gymnasii (*Principelli*) audiebant, gladiatores, aut circumforanei apud suos apparebant. Ea interim utilitate relicta iis, quorum nec vultibus Venus, nec censibus Plutus inest, ut nec ludis personatis, nec litera-

terariis adhibiti, in trivio pensum eruditionis accurent & Reip. proficiant. Pergunt deinde ad Philosophica, demum ad sua Theologica pari eventu. Nihil memoriter omnia ex cera enuntiant, extra scamnum pauci admodum sapiunt. Juris studium apud eos nullum, quando judicia non legibus & ratione, sed solius Monarchæ (*præpositi generalis societatis*) auctoritate constant. Agitant verò quæstiones de regimine (*Monarchales vocant*) seorsim, & coram delectis auditoribus. In his præcipua contentio, *de modo conquirendarum, servandarumq; ditionum, de arte, utilitate & necessitate simulandi, de amphibologiis, æquivocationibus, restrictione mentis omnique specie enthymematum ritè adstruenda, pro loco, re & tempore.* Quo in genere tam excellunt, nullis ut difficultatibus expediendis non occurrant, æquatis ad omnium palatum quibusvis contrariis sententiis, super omnes Juris Europæorum apices. Medicinæ professio illis publicè nulla, privatim superflua, multisque usus, & studium præcipuum in secretis præservativis, quæ aut ipsi domi parant, aut peregrina arte facta ex ultimis terrarum Orbis finibus mira industria advehunt. Hinc tot inter eos Macrobii quibus tamen semel decumbere plerumque fatale est, eoque cura quam maxima, ut se servent. Nec mirum si qua ætate nos Europæi deficimus, ipsi emergant ad tractanda Reip. munera per multos annos velut prætextati, & sine togis. In philosophicis & Theologicis ampla sentiendi libertas est, & insignis habetur, qui in docendo opiniosus, inveniendoque excellens, nullo respectu veri, dum novi aliquid aut nondum vulgatum afferat. Hinc quotannis receptæ sententiæ proscribuntur, novi termini novas pariunt artis & scientiarum præceptiones, nec à nuperis Magistris recentissimi intelliguntur. Jam inter publica doctrinæ specimina, non tam methodicæ disputationes, quam jurgia audiuntur citra formam, isque vincit, qui vocalior est; & totius corporis jactatione turgidior effertur, circumductis per coronas oculis ad plausum captandum, sibila plerumque & risus referens, idque ab Europæis in ignorantia fastum nauseantibus.

antibus. Aristotelis apud eos non alia notitia, nisi quam Europæi intulerunt, nulla tamen auctoritas, ut neque Scholasticorum in Theologicis. Habent quosdam suos scribas, magni ut ajunt nominis, ii tamen cum iis non omnibus horis sapiunt. In his Phancursius (*Pater Franciscus Suarez Jesuita,*) Agazulius (*Gabriel Vasquez,*) Hellinasius (*Leonhardus Lesius Jesuita*) Homatazius (*Thomas Sanchez Jesuita*) *Dicosenius* (*Pater Conincq Jesuita*) Banimonicus (*Pater Baptista Jesuita*) Pentasiphorus (*Pater Gregorius Valentia Jesuita*) & alii quam plures, quorum Catalogum Annales Regni recensent. Philosophica apud eos fere hujusmodi sunt. *An Scarabæus paradigmatice stercora volvat in orbem. An si Mus in mare mingat timendum naufragium. An puncta mathematica sint receptacula spirituum. An hiatus ventris sit spiraculum animæ. An canum latratus lunam reddat maculosam*; & plura id genus, quæ pari contentione dictantur & excipiuntur. Theologica sunt. *Utrum in spatiis imaginariis possit institui navigatio. Utrum intelligentia* Burach *dicta habeat virtutem digerendi ferrum. Utrum animæ Deorum sint coloratæ. An Dæmonum excrementa sint alexiteria hominibus in octavo gradu. An tympana corio asini intecta delectent intelligentias.* Sexcenta hujusmodi, quæ adeo mordicus & tumide isti profitentur, ut negligentes, nedum contemtores Religioni ferant obnoxios. Quæ nos Europæi interdum de Nostratum Theologia referebamus, illis inter phreneticorum deliria erant, à Monarchis (*Præpositis generalibus Societatis*) toto regno proscripta. Et tenebant memoria suorum annalium, venisse huc quosdam aliquando Professores Europæos, qui se Theologiam novam docturos recepissent; His, cum permissu Monarchæ (*Præpositi generalis*) in Regio Gymnasio ingenium periclitarentur, & de libertate humani arbitrii, cujusvis Monarchæ potestati exemta liberius dixissent, jussu magistratus ejectos esse in Insulam Imaginariorum, ne populos ea doctrina ad libertatem, servitute excussa, provocarent. Quæ nota, omnes, qui tunc aderant, Europæos, in magnam gentis invidiam adduxit: quoad alii

recens

recens appulsi, palam perhibuerunt, Doctores illos, nulla inter Gymnasticos auctoritate palabundos vagari, solitosq; per Europam qualicunque docendi talento stipem adhamare, nusquam constanti disciplina, nec semel vilibꝰ exactos, quod Academiis occupatis; statuta, formamque docendi majorum minimè servâssent, exotica omnia consectati, eoque maximè exosi, quod in legum fraudem precariis quibusdam privilegiis Doctores insignivissent, ipsi nec lauro, nec cornu baccati; verbo, Doctores imaginarii. Hæc ab advenis Europæis palam narrata, existimationi reliquorum consuluerunt. Porro Scribarum suorum aphorismis adeò tenaciter inhærent, ut Numina potius descivisse, quam suos errâsse affirmare malint. Ex suis pura puta omnia, ex aliis fecutina hauriri passim jactant, nec quicquam pensius est, quam despretis exterorum omnium oraculis, Delphica sua, præ omni Lyceo laudare: ut jam Sceptici isti Pyrrhones & Herilli, adeoque Speutici & hesterni dictatores, de omnibus audeant palam strepere & scribillare: quin etiam medicamentaria omnia tam pancraticè tractant, quàm nec circulator ille Apuleji, qui spatham præacutam mucrone infesto visus est devorâsse; aut quem Paulus Jurisconsultus serpentes circumferentem jussit excedere. Adeste Vulnerarii, Unguentarii, Mangones, Cerussarii: hic neq; Rhodios confectores desideretis, nec qui Cypriæ tabi obnoxii estis Clinicos & seplasiarios: sed neque aliorsum vos ablegaverim, qui ad rubricam aut album adspiratis, accedite & formularii Solipsorum (*Jesuitarum*) Pandectas scrutamini. Quid si & Plautinus Chorus attrahatur? Omnia certè hic (juxta proverbium Græcum) de omnibus: nec mica Æsopo residua. Quod ulterius pertinet ad Scribas Solipsorum, (*Jesuitarum*) in eo superant Hierosolymitanos, quòd non suas, quæ confusæ sunt, & inexplicabiles, sed aliarum gentium leges præsumunt interpretari, inducere, pro arbitratu corrigere, tametsi nec constituti nec rogati, imò magis suspecti, quam ut ad hanc rem idonei. Exemplum inter alios offertur Resultantii (*Patris Antonii Santarellæ Jesuitæ*) ubique originarii, qui leges

Muralganorum (*Gallorum*) quasi non suò jure, sed alieno beneficio viventium notans, ita Principem ferocis populi irritavit, ut Monarchæ Vibosnato (*Patri Mutio Vitellesco Præposito gener. Soc.*) nisi hominem aut dedidisset, aut ipse è medio tulisset, bellum indixerit, & Solipsos (*Jesuitas*) ubique funestare decreverit. Extimuit illico Vibosnatus (*P. Mutius Vitellescus Pr. gener. Soc.*) & quæsitum Resultantium (*P. Antonium Santarellam Jesuitam*) cum ad nutum Principis stetisset, is hominis aspectu miserando mitigatus, cum somniâsse illum potius quam vigilâsse dicendo conjecisset, ut quem dictorum immemorem timor an fecisset infelicitas, alio pacto transegit; jurato nimirum Vibosnato (*P. Mutio Vitellesco Præposito gener. Societ.*) se suosque Solipsos (*Jesuitas*) in posterum legibus latis ferendisque Muralganorum (*Gallorum*) nullo religionis discrimine subscripturos: Resultantii (*P. Antonii Santarellæ*) autem dicta, & siquæ aliorum sui generis essent, carbone signaturos. Ita placatus Muralganorum (*Gallorum*) Princeps, bello quidem abstinuit, sed sonticum Resultantii (*P Antonii Santarellæ*) argumentum in medio foro flammari jussit: ridentibus interim Muralganis (*Gallis*,) tam facilem se habuisse Vibosnatum (*P. Mutium Vitellescum Pr. gen. Soc.*) qui tali fide bellum redemisset; aliis verò laudantibus prudentiam viri pro omni foro, suam suorumque conscientiam versare gnari. Qvo exemplo adducti reliqui Principes finitimi, Solipsorũ (*Jesuitarum*) apophthegmata sæpius deinceps prostare valuerunt.

Caput VII.

Varii Solipsorum (Jesuitarum) *mores.*

NIhil hac gente curiosius aut natura aut assuetudine. Student singuli novis, plusquam olim Athenienses, quæ deinde in symbolum collata ad Monarcham (*Præpositum generalem Societatis*) referunt, præscribuntve suis consequiis, & conjecturis inspergentes, idcirco persæpe & fœdè aberrantes, ut nec somniare fractius, aut fingere magis absonè queant.

Hoc

Hoc certum nihil ab illis viſum, auditumve, ſine addito renarrari, quicquid inde præjudicii oboriatur. Periti rumorum collectores, omne forum ſuum faciunt. Progrediuntur ex aula, non niſi pluribus comitati. Ex his unus ſemper latero, non Achates potius, quam obſervator, hoc ſibi officii mutuò præſtant, raro fida ſocietate, niſi conſpirent. In inceſſu minimus decor, concitatio immoderata, ferocula circumſpectio, jactata brachia, ſubducta humeris pendens toga, interdum tota ad tergum manibus ceu revinctis adſtricta, non ſemel ſi æſtus urgeat detecto capiti, aut galerꝰ agitatus auram miniſtrat, aut ſtrophium manu ventilatum, nunquam interea per omnem circuitionem feriante vocaliori lingua. Salutationes raræ, niſi quos ſibi utiles nôrunt, his profunda inclinatione arrident, cæteris (etſi dignis) neglectis, gravitatis, ut ajunt, cauſa. Hæc ſi in Regia, nihil minus per univerſam Monarchiam lege conſtituta, ut ſaltem ſemel in anno viſa, audita, conjecta perſcribant, unde Monarcha (*Præpoſitus generalis Societatis*) futura deſignare queat certiùs, quam ex aſtrorum poſitu cœlique directione. In his perſcribendis nunquam ſe ſua laude fraudant Satrapæ (*Patres aſſiſtentes Societ.*) Rectores Provinciarum (*Provinciales Societatis*,) ut in Annalibus gentis vulgentur nomina, ſub qvibus ea geſta ferunt. Illud admirandum, neminem prorſus Solipſorum (*Jeſuitarum*) leges Monarchiæ univerſim callere, ſed confuſè de iis loqui & ſentire. Cauſa potiſſima, præceptionummultitudo, inconſtantia & ſtudii abſtinentia. Iuvenibus quippe legendæ non traduntur; ſeniores verò jam oculis & animo lippientes, ut inde ſibi, aliisque proficiant, idonei amplius haut cenſentur: hinc confuſa omnia, capiendo juxtà, ac agendo. Sed nec juvat legiſſe, aut ex ſenſu percepiſſe quando indies mutantur ad unius nutum, nec ut ſonant ad literam, ſed ut ſapiunt ad ejuſdem palatum explicantur. Schediaſmata quædam, ſummam legum complexa initiandis proponuntur, & deinceps per menſes hebdomadasque recoluntur; verum hæc ipſa anima ſua carent, & ſolo ſpiritu Regentis vivunt, ex cujus ſenſu, quod hodiè patina cras

caca-

cacabus; quod fritilla, fluta audit; si improbes, exilium instat perpetua hac inclamatione: *Aut pareto, aut exesto*, & obediendum usque ad bestialem (ut vocant) virtutem, alioqui nec Solipsus (*Jesuita*,) nec homo. Hac lege stetisse ab initio Monarchiam, sed concisa Monarcharum (*Præpositorum generalium Societatis*) vita, staturamque inposterum sapientiores putant, sed conciso munere, variaque successione; quando uni perpetuò, pari tenore subesse vix humanum est, ut neque facilè diuturnam Principem non insolescere. Omnes jurant in præcepta, sed plerique parent illibenter, neq; tamen detrectare audent nec mutare statum, carentes calculo decretorio: scilicet: Numen aliquod incognitum avent, quod res convertat, & sacramento pœnitendo exolvat, alias vel si cœlum ruat, actum est: Monarcham suum (*Præpositum generalem Societ.*) tam verentur, quam nunquam Europæi Romanum Pontificem, penè ad aras & thura. Nomen si audiant, pedibus strepunt, hæc illis prima reverentia si hominem videant, fronte humum feriunt: si jubentem excipiant, pavidi currunt, mutuoque se proculcant, adeoque tumultuarii in parendo multaque manus citra bonum factum. Summa omnium cura, ut is, vel solus bene valeat, cæteris animam agere indultum. Edit invisus secretis servitiis; nonnunquam cum Satrapis (*Patribus assistentibus Societ.*) sed hi extra conopeum, quod variis coronamentis intextum luxuriat; nec pavimentum vacat inscriptis Numinis insignibus, non extra calcantium metam. Singulis horis ante lucanis potionem sumit Numidicam impensè decoctam; capiunt & Satrapæ (*Patres assistentes*) probi imitatores: sed & plebeji, quibus copia est: ea his omnibus cautela, ne apepsia laborent. Qui in aula Regiis cibis vescuntur, mille ferè ministri, sine ordine, plebeji cum nobilibus mixti: in solemnibus conviviis Satrapæ (*Patres assistentes*) priores habent. Inter epulum unisono monochordio, voce assa audiuntur quædam ex vetustis annalibus ad plausum sorbentium. Accumbentium elegantiæ sunt crus cruri superponere, expansis super mensam cubitis metari, pleno cratere panem

mace-

macerare, appositisque ferculis altera manu in catino, altera in cratere natare, & hinc frustum panis, illinc bolum carnis extractū, unà utrinq; buccę tumenti ingerere: ac ut nō præmansa citius in ventrem descendant, poculum mero plenum, aut scutellam potagio redundantem confestim affundere, tam dextrè ut refluat per mentum diluatque barbam. Jam edentibus velocitas compendium facit vorare non manducare dixeris, ac ne prævertantur integros bolos deglutiunt, rarò instrumentorum usu ad dividendum, sed utraque manu rapta ex paropside portione, si præsertim ossa adhæreant, hiantiori admovent citiusq; dentibus depascuntur, quàm soliti sint vel molossi, vel Oribasii. Væ tardè masticantibus! Jam qui pensum citius absolvunt, cæteris adhuc laborantibus, nec ferientur festucas promunt, vel si careant cultris dentes suffodiunt, micasque ingesto in os vino, cum saliva resorbent præter nauseam. A mensa cum surgitur, si quid boli in ore nondum confectum, medio in cœnaculo molitur, circumductis oculis in reliquos, ceu testes eximii facti. Nec omittendum, quosdam post exhaustum merum sonantius respirare, ut sapidè bibisse noscantur, eosdemque poculum vacuum reponendo fortius allidere: alios sorbillando paulatim, allisione gutturis stridorem edere rheumaticum. Quosdam jurulenta cochleari haurientes, ubi ad ima venerint, adeò sonanter radere fundum; & concava scutellæ, ut socios ad classicum ciere putes: quanquam rarus cochlearis usus ubi jura liquidiora, ut haustui paria sint. Alios item amygdala, nuces, nucleum persicum fracturos mappæ imponere aptatumque cultrum ad findendum pugno impellere, tanto strepitu, ut incudem verberari arbitreris. Plures hujusmodi habent morum elegantias mira concinnitate exercitas: omnium elegantissima est, strophiolis ut parcas, ora mentumque, dum editur, mappa uvidiore abstergere, frontemque perfricare: demum emunctam è naribus fœdam mucosamque pituitam repanso linteolo intueri, in eaque velut in speculo se contemplari. Sed hæc satis de hoc genus civilitate. Quod reliquum est nobiles sibi obvii mutuò se utrinq; ex lege adsalutant, plebeji nequaquam; sed neque nobilibus,

neque popularibus honorem habent tametsi præveniantur. Id privilegii Monarchæ nescio cui referunt acceptum, sicut etiam adeundo, deducendo, sessione & petasis omnibus esse pares. quin verò ligonibus natum hoc genus, cum doctissimis contendunt, sæpiusque vincunt favore & clamore, addo etiam delatione, quando ut supra memini nobilibus (*Professis quatuor votorum Societatis*) laterones adduntur & observatores: hinc mirum quantum quotidiana accessione efferantur magnarum turbarum causæ. Et misera sanè conditio, unius bubulci attestatione de nobilissimorum fortunis agi, mendaces impunè agere, ne si coërceantur, defuturi sint accusatores, quorum officiis regitur Monarcha (*Præpositus generalis Societatis*:) hinc, bene & ex virtute operantibus rara præmia, minimum errantibus lauta supplicia, adulatoribus primæ, modestis postremæ vel nullæ partes; vera loquentibus parata odia. Verum hic finis esto non materiæ sed scriptionis, nunquam aliàs de cacoëthia Solipsorum (*Jesuitarum*) satis. Reliqua pete ex nostris Solipsorum (*Jesuitarum*) Chronicis, ubi & præclara facinora per annos, menses, dies digesta, & mores ad rhombum examinati.

CAPUT VIII.

Magistratus & forma regendi Solipsorum (Jesuitarum)

ANtequam de legibus, Comitiis, & judiciis Solipsorum (*Jesuitarum*) agamus, formam Monarchiæ generatim adumbramus. Monarcha, (*Præpositus generalis societatis*,) supremus mortalium à suis creditur, nec nisi potestatem quandam occultam, nunquam visam, supra se agnoscit; cui reverentia quædam arbitraria respondet: cæterum lege omni etiam naturę si mortem & infirmitates excipias, solutus. Idem perpetuus est, perinde optimus bonus an malus, quod capitale sit ullum ejus factum non laudare; nedum improbare. Durum id non paucis Satrapis (*Patribus assistentibus Societ.*) sed inviti tolerant, quod incauti & ignorantes probant. Cur Monarchæ tempora non definiant, quatuor causæ à scribis perhibentur. Prima, quod difficile est semel dominio inescatum, rursum in ordinem redigi. Secunda,

cunda, ne cæteri, si sors ferat eadem suavitate, brevi tempore, & minùs jucundè perfruantur. Tertia ne sæpius mutata Curiæ facie Resp. perturbetur, nulliusque Satraparum (*Patrum assistentium Societ.*) constans sit Principatus, si toties depositis, qui adulando meriti sunt, novi sufficiantur. Quarta, est sacramentum occultæ potestati dictum, sine cujus vehementissima in contrarium spiratione, nefas est de hac perpetuitate tollenda cogitare. Est sanè occulta hæc potestas, quam raro pro re sua coacti appellant, in cæteris auribus & stomacho famulantes. Reliqui secundum Monarcham (*Præpositum gener. Societ.*) Magistratus, ejusdem nutu, & arbitrio lecti ita dispertiuntur, ut duodeni assistant in Curia, arduis quotidiè consiliis præsentes: centeni ad regendas totidem Provincias emittuntur, sed locales singularũ Urbium præsides sine numero constituuntur. Tam verò illi, quã isti suos habent Consiliarios, Accensos, Apparitores, & vilissima quæque servitia, quæ numerari vix possunt. Hoc constat, in ipsa Monarchæ (*Præpositi generalis Soc.*) aula, qui auctoritatem Potentum habent, centenis amplius censeri missis delatoribus, ne nullus eximatur, quomodo ferè tot sunt quot impune hac via grassantur ad Dignitates. Hi porrò magistratus ita sibi respondent, nihil ut Superiores prętereat gestorum ab inferioribus. Ad Monarcham autem (*Præpositum generalem Societ.*) statutis temporibus perscribuntur, quæ in tota Monarchia universim publiceque spectantur & quę in singulis Provinciis, urbibus, domibus, atque etiam in angulis clam geruntur, nulla re quantumvis minima præterita, quicquid referat, dum Monarcha (*Præpositus generalis Societ.*) resciat. Cujus potentia maximè in duobus creditur vulgo eminere: de altero mox dicemus, alterum in re pręsenti versatur, quòd secretas etiam suorum cogitationes perhibetur comprehendere & callere. Nam qui perscribunt, non dũtaxat rimantur facta, quæ viderint, sed quæ facienda præimaginantur, sola lege liberè cogitandi, fingendi, placendi. Servantur verò Acta in Archivo Curiæ vastis insecta Indicibus ampullariis, ad memoriam supplicii, non præmii, hoc enim vel maxima de causa raro; illud ex levissima sæpius, certiusque decernitur, ne

ſuo merito quiſpiam, ſed arbitratu Monarchæ (*Præpoſiti generalis Soc.*) fiat gratioſus. Itaque nullus hic Aſſuerus; etſi non pauci Mardochæi, quam plurimi verò Aman digni patibulo. Jam regimen Satraparum (*patrum aſſiſtentium Societ.*) qui Provinciis aut Urbibus præſunt perpetuum non eſt; ſed ad nutum Monarchæ (*Præpoſiti generalis Societatis*) ſeriùs aut citiùs expirat, quanquam favorabiles perſæpè luſtrum explent; Sic ad paucos inopinos deerrant honores, melioribus præteritis, ne hi ſuopte Marte valeant. Nam cæteri animis, & ſenſu obærati Monarchæ (*Præpoſ. general. Societ.*) ingenio vivunt. Et hoc alterum illud eſt quod Monarchæ (*Præpoſ. gener. Societ.*) potentiam exaggerat, duo nimirum inter ſe pugnantia, ſupra naturæ vires in unum connectere; hoc eſt imprudentes & judicio caſſos populis præficere. Dudum in Europa apud Jeſuitas didiceram, Entia rationis, quæ ipſi vocabant fictitia, in unam eſſentiam coaleſcere, nulla potentia ſalvis rebus poſſe; quæ Doctrina trimeſtri in Logici ſcriptione, vociferantiſque toties uſque ad ravim miſeri magiſtri, fruſta ſtetit. Qui niſi deliràſſet, præcepta Solipſorum (*Jeſuitarum*) animo ſapientia, trimeſtri alio recantâſſet. Rideant porrò Europæi, quantum velint Solipſorum (*Jeſuitarum*) inſtituta, dum agnoſcant hac arte, nec alio exemplo Monarchiam ſervari & æſtimari.

CAPUT IX.

Status Monarchiæ Solipſorum (Jeſuitarum)

QVinque hominum genera hæc Monarchia continet. Nobilium (*Profeſſorum quatuor votorum Societatis,*) Populi (*Coadjutorum Spiritualium formatorum Societatis,*) Artificum (*Scholarium Societatis* ſive *Profeſſorum poſt biennium,*) Plebis (*Laicorum* ſeu *Coadjutorum temporalium Societatis*) & Adiaphororum (*Novitiorum Jeſuitarum,*) Quę omnes univerſim ab ipſo Monarcha (*Præpoſito generali Soc.*) prævia de vita & moribus informatione leguntur; Adiaphoris (*novitiis Jeſuitis*) per Provincias cooptandis Præſidibus quoque fit poteſtas. Regno tamen & civitate non donantur, antequam ut reliqui peculiaribus cuique generi ſacramentis in unum dictorum ordinum ritè adſcribantur. O-

tur. Omnes sine exceptione fidelitatem *Monarchæ* jurant, Nobiles (*Professi quatuor votorum Societatis*) præterea militiam, ubicunque & contra quascunque gentium, non petitis sumtibus promittunt. Populi (*Caadjutores Spirituales formati Societ.*) gubernandis tantùm Urbibus, & quibuscunque muneribus domi obeundis fidem spondent. Artifices demum, (*Scholares Societatis* sive *professi post biennium,*) & Plebeji (*Laici* seu *coadjutores temporales Societ.*) ad præstandam reliquis omnibus servitutem, nullo aut loco aut tempore, aut onere detrectato capita devovent. Et hi quidem levibus de causis sacramento soluti, tota *Monarchia* excedere coguntur. Reliqui nequaquam, sed intra fines regelati, vel etiam deportati, arcta perpetuò custodia habentur, præcisa omni spe dignitatum & honorum, neque interim sponsione liberi. Ex nobilibus (*Professis quatuor votorum Soc.*) tantum creatur ipse Monarcha (*Præpos. generalis Societatis*) ritu in loco narrando. Præsides Provinciarum (*Provinciales Soc.*) nobiles item, non nisi ab ipso *Monarcha*, sicut & Rectores urbium (*Præpositi domorum* seu *rectores collegiorum Societ.*) sed hi etiam ex populo (*coadjutoribus spiritualibus formatis Soc.*) leguntur, quibus Vicarios & coadjutores singuli Provinciarum Præsides (*Provinciales Societatis*) designare possunt. Artifices (*Scholares Societatis* sive *professi post biennium*) opificia & mercaturam tractant, interdum gymnasiarchis quoque perinde ac nobiles & populares accensentur. Denique ex plebe (*Laicis* seu *caadjutoribus temporalibus Societ.*) constant milites, mechanici & servitia omnia, & reliquum *Monarchiæ*, custodes nimirum corporis *Monarchæ*, cæterorumque Præsidum; fossores etiam, calones, agricultores, prædiorum curatores, bajuli, vespillones, carnifices denique fex omnis speciei. Ex statu in statum non datur transitus, sed singuli quam juramento Spartam susceperunt, ad extremum vitæ coguntur servare, irriti facti pœnitentia. Qua vel una re *Monarchiam* stare arbitrantur, si minimè perturbatis ordinibus studia partium & seditiosæ factiones longè absint. *Memini* tamen ex plebe quosdam singularis facinoris merito inter nobiles semel iterumque summa potestate *Monarchiæ* fuisse adscriptos. Decedentium ex singulis statibus locum Adia-

 phori

phori (*Novitii Jesuitarum,*) Monarchæ arbitratu implent. Nullum ſanè genus felicius plebejis Solipſorum (*Laicis* ſeu *coadjutoribus temporalibus Societatis,*) quos maximè lateri Monarchæ (*præpoſiti generalis Societ.*) Præſidumve (*Provincialium Societ.*) adhiberi ſors tulerit. Hi ſiquidem non menſis tantum, cubiculis, lectiſterniis & retrimentis efferendis, purgandoque lotio præſunt, verum etiam nobilibus admittendis, deducendis præeunt, Principum exterorum legatos excipiunt, audiunt, auditis reſpondent. Ne dixeris id fieri præpoſterè, his enim fulcris Monarchiam ſuſtineri ajunt, ſi æquatis ordinibus argumenta invidiæ, & factionum faceſſant. Si Monarcha (*Præpoſitus generalis Societ.*) in publicum prodeat, eidem plebeji (*Laici* ſeu *Coadjutores temporales Soc.*) pari greſſu ad latus incedunt, quibus maximè cura corporis incumbit, nam & domeſtici medici ex horum tribu leguntur, reliqui cujuscunque ſtatus prę & pone eunt. Vix invenias, qui horum amicitiam non ambiat, variisque donariis non procuret, ut favorabilem Principem habeat, ſive gradu ad dignitates faciendo, ſive noxam calumniamve purgando. Nec quidpiam tanti eſt momenti, quod horum commendatione non obtineas. Dolet id non minimum nobilibus (*Profesſis quatuor votorum Societ.*) feruntque impatienter ominoſam ſervitutem. Et deliberatum aliquando in Interregno, de iis ad conditionem revocandis, jurato in rem Monarcha futuro. Sed fruſtra: nam ſubodorati conſilium, capita vernilia continuò defectione clam agitata Principum exterorum auxilia ſollicitare, præmio tradendæ Monarchiæ præpoſito ſi præſto eſſent, & privilegia plebis (*Laicorum* ſeu *coadjutorum temporalium*) ſervâſſent. Ita factum, ut Viboſnatus (*P. Mutius Vitelleſcus Præpoſitus generalis Societ.*) qvi ſucceſſit, ſeditionis metu, non ſolum interregni decreta præteriret; ſed neglecto etiam juramentô integra illis omnia ſervaret, atque etiam ultro prærogativum Mitræ, Nobilium & Majoris Magiſtratus inſigne (*Birretum*) adderet, multis ex nobilitate proſcriptis, qui nedum arma capere, ſed contra mutire auſi fuiſſent. Qva victoria illi elati, mirum quà deinde ſemper inſolentia reliqvos erga ordines ſeſe habuerint, Viboſ-

natum

natum (*P. Mutium Vitellescum, præpositum gen. Soc.*) ubique sub manu ferentes, ut quos vellent gradu moverent, aliosque sufficerent. Vidi non semel dignissimos honoribus privatos, ac cõtra nocentissima capita sæpiusque legibus sacra, factione dictorum plebejorum (*Laicorum,*) ad gubernacula provinciarum accita, non alio, quam turbandarum rerum talento; ringentibus interim clarissimis & præ mœrore animi tabescentibus, etsi nonnullo specimine cujusdam fortitudinis, præposterum Monarchæ exemplum probarent, ne legi obnoxii forent. Fuit ex illis mortalium unus, quem noverim, omnium ad regendos populos ineptissimus, cui nec haram tutò commisisses, is non pridem antè plurimorum criminum postulatus & me Judice capitis damnatus, jamq; novissimo exemplo notandus, plebejorum tamen illorum (*Laicorum* seu *coadjutorum temporalium Soc.*) apud Vibosnatum (*P. Mutium Vitellescum, præpositum gen. Soc.*) auctoritate patibulo ereptus est: parum erat, nisi paulò post, nõdum inductis criminibus, iisdem fautoribus Prætorio quoque Præfectus (*Rector collegii,*) fuisset, frementibus justissima indignatione cunctis tantam dignitatem maculari, & fecèm hominum, Monarchæ (*Præpositi gener. Soc.*) noxa, Nobilium (*Professorum quatuor votorum Soc.*) capitibus turpiter dominari. Restiti pro munere quantum potui, leges salutemque Reip. convelli multis argumentis asserens; sed irrito conatu, quod insulsum factum, ut Vernilitti objiciebant, Monarchæ dicto supra leges stabilitum oportuit. Vulgatam porrò sonticam famam, edictum Monarchæ (*Præp. gener.*) correxit, quo per omnia Provinciæ Liadersiæ (*Siciliæ*) fora & compita Sivarlicæsus Colosbidozarus (ita appellabatur) omni ignominia liber esset jubebatur, & omnium opinione bonus haberi. Quod licet ritè damnatus fuisset multis tamen inhonestis nominibus, quorum unum ad scopum causæ satis erat, accusatus; nempe, Majestatis, depeculationis, occultæ conspirationis concitatæ ad defectionem Provinciæ, perversæ ex inscitia administrationis, denique repetundarum, quas perpetuò stellionatu interverterat. Horum tamen omnium probatio quia factis pro se loquentibus nimia erat, ab-

solven-

ſolventis reatu fuit, cui alioquin ſupplicium dignum inveniri non potuiſſet, abigēdo omni magiſtratu remotarū regionum: atque ideo adhibere eum ſatis viſum eſt ad cuſtodiam & directionem Curiæ *Monarchalis*, quam perpetuò infamem vivere. Hæc forma edicti: quod cum attonitis auribus plerique acceſiſſent, dubitare cœperunt an eo tenerentur, *Monarcham* (*Præpoſitum generalem Societ.*) à ſeipſo diſceſſiſſe arbitrati. In Regia omnium oculis in me converſis, quid facturus eſſem, officium & inſignia Judicis abjeci, cauſatus, ne aut novis Colosbidozari criminibus, aut vetuſtis nondū deductis fatigatus, objectum furori populi caput in *Monarchæ* injuria contumeliaque foret. Ita meo deinceps ſucco vivens per aliquot annos tuli hoſtem nunquam feriatum, quò nocentiſſimus eſſet: neque tamen is ſine pallore vixit & ſine metu novi judicii, toties vultu, animo, oculis, voce cadens, quoties obvium in Curia declinare non potuit. Quæ de ſtipatoribus *Monarchicis* dicimus, proportione quadam accipienda ſunt de iis, qui Præſidibus Provinciarum & Urbium (*Provincialibus Societatis & Præpoſitis domorum ſive Rectoribus Collegiorum*) frequentes adſunt; cum quibus niſi more & Jure priſco agatur, de reliquis ſtatibus brevi actum puta, formidine plebejorum, conditione omnium æqvata.

CAPUT X.

Leges Solipſorum (Jeſuitarum.)

LEges & ſtatuta Solipſorum, à quo Monarchiæ forma cœpit, in qvinqvagena volumina ingentia excrevere, abitura in infinita, niſi moderatio interſit. Continent autem varia decreta, tum ad univerſam *Monarchiam* ſpectantia, tum Monarcharum (*Præpoſitorum generalium Soc.*) ſingularia reſcripta, admirandarum plena induſtriarum & præceptionum circa ſingula genera rerum, munerum, perſonarum & quæ ſub generibus ſunt ſingulorū. Prætereà, quæ ſingula item Regna & *Provinciæ*, velut Acta quędam Conſularia, à Monarcha (*Præp. gen. Soc.*) approbata ſervāt, ſingulæ item Urbes inſtar legum municipalium eadem auctoritate firmata, cuſtodiunt. In quibus omnibus duo potiſſimū libet obſervare; alterum quanta religione Solipſi (*Jeſuitæ*) *Monar-*

Monarchā suum (*Pr.gen.*) colant, supraq; omnes mortales efferant: alterum quàm acri & indefessa contentione terrarum orbē eidem subjicere sive per fas sive nefas laborent: quod Evangelica luce destituti barbara affectatione res caducas metiantur. Ut hinc discant Politici quidam Europæi, longè se barbaris esse deteriores, quoties dominandi causæ, juris omnis humani diviniq; contemtu patrocinantur. Sed jam præcipuas Solipsorum (*Jesuitarum*) leges, in quædam capita paucis redigamus. Imprimis & ante omnia quivis Monarchæ (*præpos. gener. Soc.*) Solipsorum (*Jesuitarum*) subditus, quocunque modo sub potestatem venerit, casu an electione; sponte an coactus: noverit omni sibi, domino alieno, juri cuicunq; etiam naturæ, sacramento renuntiandum. Secundò; nullum Numen nisi ex præscripto Monarchæ (*præpositi gener. Soc.*) colet, ipsum verò Monarcham instar omnium Numinum cœli, terræ, maris, orci habebit. Tertiò, quodvis ejus dictum factum, etsi nulla ratione boni apparentis, imò naturæ repugnans, ut sacrosanctum laudabit, exquisitisq; argumentis confirmabit. Quartò, quoscunq; Monarcha (*præpositus gener. Societ.*) persequitur, eosdem ipse omni conatu perdere vel saltem deprimere studebit; ut contra quibus is favet, omni honore, & amore prosequetur; nullius prætereà invisi Monarchæ patrocinium suscipiet, imò ne mentionem quidem nisi ad odium inducet, ne laus ejusmodi Monarcham (*præpos. gener. Soc.*) vituperet. Quintò, cum nullo exterorum finitimorumq; cujusvis necessitudinis aut officii commercium habebit, neq; ullas tabellas dabit signabitq;, nisi prius à tribunali constituto visas probatasque. Sed neq; ullius consilium auxiliúmve necessitate quavis urgente implorabit. Sextò, dicta factaq; ulla Regni vel Curiæ non efferet, nec quicquam ulli mortalium scripto, verbóve communicabit, quod ad mores & statuta Monarchiæ quovis modo spectare cognoscitur. Contra quicquid ubiq; gentium, agi, dici perceperit, illico Monarcham (*præpositum gener Societ.*) certiorem faciet, nullis parcendo sumtibus, minutissima quæque consectado, & quæ arcana aliorum concernunt ritè excipiendo. Septimo, nullius gentis

nationem, mores aut leges Solipſorum (*Jeſuitarum*) nationis moribus & legibus anteferat, ſed neq; laudet ullo modo, niſi cum prærogativa inſtituti Soliplorum (*Jeſuitarum*) procul minimo præjudicio. Octavò, ſi quem Solipſorum (*Jeſuitarum*) externa quævis Reſpub. aut Regnum, finitimíve Principatus, Conſiliarium, Ducem, Regem aut Principem optent; is niſi conſulto & indulgente Monarcha (*præpoſito gener. Societ.*) non conſentiat, & nihilominus meminerit ſe obnoxium antiquæ ſervituti, teneriq; de omnibus, quæ iſtic gerũtur manifeſtis juxta & occultis eundem monere, nec quippiam ſeu conſulere ſeu decernere, niſi monito priùs & probante ſuffragium Monarcha Solipſorum. Nonò, cujuscunq; ſubditorum occultum quodvis crimen, quam primum & nulla admonitione præmiſſa Monarchæ, aut captandarum accuſationum Vicario denunciabit, nulla ſervata juris cujusquam forma, quidquid tandem inde ſequatur accuſato: irrito præterea quovis voto, & juramento præſtito de non denunciando: idq; etiam de manifeſtis criminibus intelligendum, etſi conſtent aliunde jam innotuiſſe Monarchæ: Neq; curandum quæ moveat ſuſpicio, vera an falſa ſint referenda, præſtabit verò officiũ omni poſtpoſita mora, niſi in periculo ſuo eam eſſe velit. Decimò, ſicut curare non debet de fama alterius, juſtè an injuſtè delati, ita negligere debet ſuam, ſi fors deferatur legitimè an contra, veri an falſi poſtuletur, nec ullo jure vindicias petat: certus ſe nullum habere famæ ſuæ dominium, quod ſemel in *M*onarchæ (*præpoſiti gen. Societ.*) poteſtate depoſuit. Undecimo, omnium ſive apertè ſive clanculum geſtarum à ſe rerum rationum *M*onarchæ aut ejus Vicario reddet, ſive ſponte, ſive toties quoties cum auctoritate requiſit⁹ nullas celando quantumvis occultiſſimas, & ſolis Diis receptas, vel ignoto alicui Numini notas cogitationes, tametſi contra ipſum *M*onarcham & *M*onarchiam conceptas, nec curioſè inquirendo, quem in finem id exigatur. Duodecimo, quidquid de ſe conſtituatur, è manu *M*onarchæ ſuſcipiat, non replicando aut obmurmurando, vel ſi prælatis indignioribus ipſe negligatur, aut ſtudio deprimatur, talentorum omnium detrimento

facto

facto hoc secum seriò & sedulò reputans, bene secum agi humine an sublime putrescat, cujus sors in manu *Monarchæ* (*præpositi generalis Societatis*) sit; quem semel dominum errandi nescium agnoverit, quo injusta an injustè faciente appellare nefas esto: quippe Numinis instar omnipotentis, superiorem se ignorans vult æstimari. Tertiodecimò, cavet ne curiosè mysteria gubernationis *Monarchæ* & Vicariorum vestiget, neq; hos dementiæ insimulet in agendo, quamvis omni discretione, prudentia, & judicio cassos, certus *Monarchæ* non expedire prudentiores se regimini præficere, quive non tam obsequi incunctanter ad literam, quàm consulere & præcipere secundum rationem nôrint. Quartodecimo, deniq; certò sibi persvadeat non solùm voluntatem omnem & judicium suum subdendum esse voluntati & judicio Monarchæ, sed etiam intellectum & rationem, non obstante, (quidquid dicant superstitiosi Europæi) legis, & luminis naturæ pugnâ, mancipandam esse in obsequium dictorum decretorumq; ejusdem, eo duntaxat momento, *quia ipse dixit: ipse jussit.* Atq; hæc fere est summa legum, quas Solipsi (*Jesuitæ*) tot insanis Pandectis complectuntur, & nullo proposito præmio, sed maximis intentatis pœnis districtissimè servandas præcipiunt, addita hac velut appendice, ad subditos animandos sententia, ipsarumq; legum anima, ut quisq; ad obedientiam & obsequium Monarchæ se paraturus, cogitare acquiescat, non se hominem, sed cicuratam bestiam esse.

CAPUT XI.

Considerationes quædam circa leges Solipsorum (Jesuitarum)

Omni etiam juri naturæ renuntiare, quod primum caput exigit, diræ cujusdam paucis cognitæ devotionis sapit authoramentum. De quo cum altiora quædam ex Satrapis (*Patribus assistentibus Jesuitarum*) scrutarem, attoniti profitebantur se nō scisse, quid juxta principia Europæorum lex naturæ præ se ferret, adolescentes admodum ejurâsse, ut jam pœnitentia duntaxat, facti retractandi nullus supersit modus. Lex *secunda* aut ad statuam auream campi Duræ provinciæ Babylonis alludit, aut ad Darii Regis ex instituto *Medorum* & Persarum decretum refert;

 fert;

fert: persæpe subit, si contingeret Solipsos (*Jesuitas*) Evangelio nomen dare, ex Monarchæ (*præpositi gener. Societ.*) placito Religionem ordinandam, & plusquam olim Tiberium, laboraturos Christianos ad Christum inter Numisma recensendum. *Tertia*, habitum pravæ dispositionis in intellectu ingeneret necesse est: quid enim si unius horæ intervallo contraria cogantur affirmare, nec veritati constanter assvefacti consvetudine quadam metiantur? *Quarta*, mihi semper inhumana & infra Scythicā barbara visa est, cùm ferrem iniquissimè toties innocentes inauditos damnari, sontes contra & perditissimorum mancipia morum, foro uti: Verùm ipsi incolumitatem suæ Monarchiæ hinc potissimum solent æstimare; si prudenti imprudentiq, Monarchæ (*præposito generali Societ.*) perinde assententur, nil sua referre dictitantes, benè an malè, dum jubeat: multoq; magis si exemplo præeat atq; hanc summam membrorum inter se & cum capite concordiam, plusquam ex enthusiasmo profitentur. *Quinta lex*, multa ex prudentiæ norma commoda habet, si excipias male cautum, nullius consilium impune implorare, ingenti forsitan argumento superbiæ, periclitari Remp. malle, quam sapientioris consilium, auxiliumve requirere, ne turpe (*credas*) videatur; in tanta Monarchia paucos sapere, & tantùm opinione simplicium & obnoxiorum, Sapientiæ nomen tueri. *Sexta* versutissimam in gente barbara carnis prudentiam prodit, non infra Europæorum politicorum calliditatem, ut dubites, an hi ab illis acceperint, an per abreptos traditam, postliminio revocârint. Cæterùm si quid aliquando contulit ad providum regimen Provinciarum, quando simplicioribus expectoratis, omnium consilia Monarchæ patebant: hodiè plenum periculi negotium est, & quemadmodū anteà proni ad mendacia perscribebant, quæ vulgò rumore jactabantur, multisq; ea in rem suam exaggerabant; ita modò à callentibus hominum mores, & contraria simulantibus, in errores mittuntur planè ridiculos, & deliberationes Monarchæ (*præposit. generali Societatis*) ludos faciunt. *Septima* cum urbana humanitate pugnat, nec divines quid ad politicum statum conferat, nisi

certò

certò existiment, aliorum Regnorum & legum laudem, transfugio suorum ex servitute in libertatē, Monarchiæ tyrannidis esse destructionem. *Octava* immanem dominandi libidinem manifestè accusat, ob quam non multis abhinc annis, omnium finitimorum Principum odiis exerceri cœperunt districtè caventium, ne quis unquam Solipsorum (*Jesuitarum*) imposterum, non modò in honoris & Regni participationem evocaretur, verùm etiam, ut aditu omni arceretur, deprehensus in forum mitellatus produceretur, & cum risu plebis extra fines ageretur. Magnum alioqui in hac lege subigendi orbis totius compendium, præpostera cupiditas corrupit: quam ut aliquando ex parte sanarem, quod sub manu habui consilium in medium attuli, cujus infra meminero. *Nona.* Ut capitalissima, ita olim magna religione servata est, hodie à plerisq; (an suo periculo eruditis) præteritur, ut nihil ad naturam extirpandam violentius, nec pauci hoc propter ejura â Monarchæ (*Præposit. general. Societat.*) fide, receptorum nisi authoritate Solipsos (*Jesuitas*) in odium gentium vocatos vexant. *Decima* similem considerationem habet, nec minùs temere prodigus est vitæ, qui crudelis est in famam, ut aliena potestate sæviat in naturam, nulla aliena vita æstimandam. *Undecima* causas habet odii plenas, nec tutum in humanis sacramentum, plerisq; dolosa hæc confidentia deperit exitium, quibus manifestata conscientia dux fuit ad supplicium & vindictam, quoties prætextu directionis irretiti sunt minus cauti laqueis sinceræ confessionis: hodie pleriq; fallunt scrutatores dolosos, experientia docti eosdem fuisse & esse delatores, si quid arcanæ cogitationis vel adversum se, vel adversum Monarcham (*Præpositum general. Societ.*) elicuerunt, ut quos fortasse tacitis cogitationibus offendissent, eosdem perpetuos hostes sentirent, turpissimi facinoris architectos. Quid enim inhumanius, quàm specie religionis extortam arcanam fiduciam, in fidei & omnis confidentiæ perniciem convertere: Sed bene actum quod serius licet, paulatim inducendo, nisi apud rudissimos, obviam tum huic, ut quidam ex Asianis ajebat animorum carnificinæ. Interrogatus

haud ſemel, an quid ſimile mos Europæus ferret: reſpondi, Eſſe quosdam Numini conſecratorum cœtus, qui tyronum ſuorum cogitatus religioſè expiſcantur: ad formandum in iis legitimum cultum, ne in ceremoniis ſecretioribus errent: cautum tamen hujusmodi quæſtionariis, ne ſuſceptas adverſum ſe tyronum cogitationes, aut veſtigent, aut cernant. Eſſe altius forum, quo ſecreta cordium, quæ expiatione egent, ſoli Numini Europæorum inviſibili, & Sacerdoti locum ejus tenenti, ſub ſigillo Sacramenti, oris confeſſione deteguntur, acceptaq; noxæ abſolutione, fruitur confeſſus tuta conſcientiæ libertate, nullo periculo, ut ex ea in judicium hominis deducantur; aut Sacerdos qui excepit ejusmodi ſecreti cognitione in rem ſuam utatur, millies moriturus antequam ſigillum violaturus. Hic, inquam, mos eſt Europæorum. At quidam Satraparum (*Patrum aſſiſtentium Societatis,*) Rectè ajebant, ita fieri apud Europæos, quibus Deus aliquis Principibus major imperat. Solipſorum Monarcham (*Præpoſitum generalem Societatis*) ſupra ſe noſſe neminem; quid mirum ſi in occultas quoq; mentis conceptiones jure ſibi vindicet dominatum? *Duodecima*, niſi ex æternis quas vocant rationibus pendatur, quarum tamen cura Solipſis (*Jeſuitis*) minimè conſtat, miræ tyrannidis ſpeciem præfert, impotenter in naturam vim exercentis, nihil ut triſtius accidere queat iis, quos adulari minimè doctos favor Monarchæ non attingit: Jacent ingenui & ad ſumma omnia nati, quibus origine ſpectata Monarcha (*Præpoſit. generalis*) ne dignè quidem ſerviat, ſine ulla rerum geſtarum laude, nedum præmio; contra terræ filii, ac tantum ad genium Monarchæ facti aſſurgunt, ſerviq; dominis deperdito favore imperant. Nempe hæc ſumma eſt gloria Monarchæ, viris præſtantiſſimis perinde uti ad provincias regendas & cloacas hauriendas: mediaſtinos verò ad ſolium dirigere. O tempora, ô mores! *Decima tertia* cõtendit, ut ſtulti ſapientibus moderentur, atq; utinam tacendo norint ſapientiam præferre, qui loquentia nimiâ, nunquam nõ melioribus officiunt. Sed hinc nimirum prudentia penditur Monarchæ (*Præpoſiti gener. Societ.*) ne ſi ſapientes promoveat,

ipſi

ipsi cum iisdem minimè constet. Nam si difficile est parem ferre, molestius multò superiorem talento, auctoritate licet inferiorem revereri: proinde satius est inter cœcos monoculum regnare, ut de coloribus tutè asserat & persvadeat. *Decima quarta,* deniq; omnium aliarum est summa, qua vel sola tota Monarchia consistat perpetuo, si cætera semper futura sint paria, sed verendum, ne detracta aliquando larva, inter stultitiam & simplicitatem discernatur, cumq; lumine naturæ transigat discreto.

CAPUT XII.

Judicia Solipsorum (Jesuitarum.)

DE Judiciis ingentes habent Pandectas, sed nullo ordine nec arte, ob id ne à senioribus quidem intellectas, omnia moderante Monarchæ (*Præposit. general. Societ.*) arbitrio ad quem omnium Regnorum majores minoresq; causæ deferuntur. Is porrò nulla juris forma servata, nec tamen de plano & vix etiam summaria cognitione, damnat, absolvit, ut lubet. Habent nihilominus singuli Monarchæ suos modos, non ex præscripto legum, sed suæ voluntatis. Hinc tot praxes, quot Monarchæ: Exempla duorum, qui meo tempore sibi succedentes imperârunt, paucis referam. Prior Avidius Cluvius (*Claudius Aquaviva, Præpositus generalis Societatis*) paucis post meum adventum defunctus, Monarchiam florentem reliquit, magni vir animi, cujus non postrema laudum fuerit, multa licet è suo genio gerentem, Majorum tamen vestigia ex sapientûm decretis sanctiùs & luculentiùs expressisse. Qui si diutius vixisset, hodie Solipsi (*Jesuitæ*) magnam partem Christiani essent. Successit Vibosnatus (*Mutius Vitellescus Præpositus generalis Societ.*) sorte errante, sibi potius quàm Reip. factus, qui laxatis ignaviæ habenis, justitia afflicta Monarchiam haud parum labefactavit: cujus porro imperio in judiciis exercendis, hic ferè mos tenuit. Reo per apparitores constituto, permittebatur defensio, ad aquæ modum, nullo tamen patrono admisso, sed quam suopte ingenio valebat adstruere. Ea excepta Judices dati, Satrapæ, Monarchæ,

narchæ, Asseſſores, adjunctis potentioribus, qui accusâſſent vel accuſati fuiſſent; ne fortè aut his convictis aut illis deficientibus, minus potentes & deſerti inſoleſcerent. Ea propter conſtituta etiam pœna talionis, qua in miſeros acerbè ſæviebatur, ſemper enim certi erant potentiores, ſe cauſa triumphaturos, cujus ipſi cognitores & judices eſſent. Quo fiebat ut iidem quantumvis criminoſiſſimi, raro accuſarentur, accuſati damnarentur nunquam, qui jure ipſos accuſare fuiſſent auſi, etſi centum criminum capitaliſimorum, totaq; aliqua urbe, aut provincia manifeſtorum, argumentis veniſſent inſtructi: nihilominus dubii periclitarentur. Quare datis, quos dicebam judicibus, conſequens erat reum minorum gentium cauſa cadere; vulgataq; ſententia pœna illico ſequebatur nulla intercesſione redimibilis, & ne injuſtitia appareret provocatione ſecluſa jura manu claudebantur: contra ſi merito cauſæ fidentius rem gesſiſſet, fractaq; potentum tergiverſatione victoriam prope manu teneret, tum judices vario prætextu procraſtinare, adeoq; in diem longum ſpem irritam extendere, ut miſerum moleſtia diuturnæ expectationis emaciatum, vel cedere cogerent, vel ad ſpontaneam confesſionem, ſi accuſatus fuiſſet, tametſi nullius criminis compertus. Quam ſi impetraſſet, monito Monarchæ reus peragebatur, vix unquam abſolvebatur, ne ſi impune abiiſſet, fruſtra à delatoribus, per fas nefasq; accuſari quempiam malo exemplo fuiſſet. Si porro adverſus iniquam moram durâſſet, tum judices, conſtantiam contumaciam interpretati, repetitis à prima ætate vel minimis noxis, nec evacuata interim exceptione præſentis judicii, cauſam vulneratam aliorſum trahebant; capita fere criminum erant ſternutando crepuiſſe, manducando labra diduxiſſe, caſum aſini riſiſſe, clam in cubili contentius tusſiviſſe & ſexcenta id genus. Quæ ſi reus tanquam aliena deriſiſſet, tum demum ſententia peremtoriè lata ſupplicium extremum miſero decernebatur. Hoc ordine meo tempore Afrorum quidam capitis damnatus, inopinato finitimos Principes, qui tum forte Monarchæ (*præpoſit. generali Societ.*) ſociale bellum indixerant, appellavit, ea cauſa conſterna-

sternatus Monarcha, hactenus enim nemo à tanta potestate provocâsse auditus erat, rem ex composito geri suspicatus, Surlolagerum (ita vocabatur) abscissâ sententia liberum pronunciavit, protestatus nihil se de ejus damnatione scisse, culpamque in Satrapas (*Patres assistentes*) effœminatè conjecit. Nos Europæi salutem Afro gratulati, quid facto imposterum opus esset, notavimus. Pœnæ suppliciis debitæ apud Solipsos (*Jesuitas*) sunt variæ, emaceratio, fustigatio, diversa verberatio, sed ut quisque sibi sit virgator publicus, carceres, relegationes, proscriptiones, majores, minoresve capitis diminutiones, cujusmodi sunt abstentos esse gratia & conspectu Principis, impotem suffragiorum ad honestiora munera, deniq; exosum & perosum, nullo ut merito favor integrari queat. Quo uno maximè sæviebat Vibosnatus (*P. Mutius Vitellescus, Præpositus generalis Societatis*) nulli placabilis, quem semel etsi immerentem despexisset, ut contra nulli non favorabilis, quem semel etsi nauci hominem, & insigniter discholum adamâsset. Ea res non paucos ad desperationem & ad acerba omnia adegit, quorum ego sorte miseratus, ut animos sumerent admonui, nec tanti facerent muliebrē hominis lepore timidioris impotentiam, & qui modestos vexare tantum nôsset, audaciores extimesceret. Quanquam non pauci ingenium ad altiores causas adulando referebant, affirmantes Monarcham (*Præpos. gen. Soc.*) ex meritis cujusque prævisis & scientia quadam degrammata (*mediâ*) cognoscere, quid quisque subditorum facturus foret pravi si Principis gratia frueretur, aut odia non exerceretur; eoque par esse hujusmodi anticipato supplicio plecti, etsi in oculis mortalium nondum sontē: ut contra insolentes ad gratiam admitti & reliquis efferri, quod prænôsset Monarcha, futuros aliquando modestiores, dignosque præmiis antecaptis. Quo certè modo, nec Caiphas apud Hebræos prophetavit, nec turpius actum apud illos, qui reos suspicione duntaxat criminis, nulla alia probatione peractos, patibulis suffigere soliti sunt. Deinde verò causa cognita si sontes deprehendissent, dio permittere, si secus, depositis honorificè justa persolvere. Referam & aliud, sed ludo, ne lectori bilem

 move-

moveam, ut nôrit esse in Solipsis (*Jesuitis*) qui Plauti comica exornet. Edicit Spinomantæus Prætor (*P. Cæsar del Bosco, Rector collegii*) Pharsacio (*Laico Jesuitæ*) aulico deportationem Monarchæ (*Præpositi gen. Soc.*) jussu & scripto; miratur is inscius demeriti, Monarcham (*Præp. generalem.*) appellat, adit, provolutus inquirit. Negat hic stupenti similis quicquam se auctore factum, & bono esse animo Pharsacium (*Laicum Jesuitam*) jubet, qui totus sibi redditus, sua gaudia amicis narrat; postridiè à Spinomantæo (*Patre Cæsare del Bosco Jesuita*) monetur acrius, ad exilium se quantocyus componat. Renuit ille, fidentius etiam cum Monarcha fictam jussionem improbante, actum obtendit: Verum Spinomantæus (*P. Cæsar del Bosco:*) nihil mihi, inquit, cautum recens à Monarcha, insisto primis decretis, actutum faxis, ut pareas. Quid ultra? curritur ad Satrapas participantes (*Patres assistentes Societatis*) iterumque ad Monarcham (*Præpositum gener. Societ.*) & accusatur à Pharsacio (*Laico Jesuita*) Spinomantæus (*P. Cæsar del Bosco*) ceu contemtor magni nominis. Iterum gestu vultuque simulat Monarcha ore per ambigua, sed favorabilia errante. Instat Pharsacius (*Laicus Jesuita*) ut sistatur Spinomantæus (*P. Cæsar del Bosco*) coramque munita capessat. Hæret Monarcha, ne filum succidat: mox perge, inquit securus voti, curabo accersier, advertendum ne te vexet. Abit Pharsacius (*Laicus Jesuita*) & tanquam omnes fluctus eluctatus, technæ imprudens iterum triumphat. Perendino urgetur vehementius, ut sarcinas componat, intra horam pedes elaturus, severè plectendus ni exit. Tum Pharsacius (*Laicus Jesuita*) iniqui impatiens, concita bile ad Monarchæ (*præp. Gener. Soc.*) fores advolat. Sed negata admissio à docto custode, ne quiescenti, ut ajebat, intercederet; monet, ut crastina redeat: scilicet ut post secessum Monarchæ primo diluculo ad suburbana, venientem frustret, aut ejiciendo spatium faciat, instante interim momento, quod Spinomantæus (*P. Cæsar del Bosco Jesuita*) scorpii cauda designârat. Ita Pharsacius (*Laicus Jesuita*) penè ob deceptionem sui impos extrusus est in exilium: quotidiana exempla suo quoque periculo illustrans. Hoc nimirum admirandæ regimen

est sa-

est sapientiæ, collusionibus & stellionatu traducere miseros & dotariæ salutis exortes, qui æqui causa ex lege recurrunt, in totius vitæ ærumnam mittere perplexissimos. Luditur ut pila, justitia percussa, repercussa, eluditurq; afflictorũ exspectatio; quib⁹ si dolor verbum eliciat impatientius, crimen Majestatis in foro est. Si Spinomantæus (*P. Cæsar del Bosco*) barbarus Monarchæ se stitisset compulsus, patuisset mutua ex vultibus collusio & technæ vafritiem non constantia cum mente verba prodidissent. O versutam, si Diis placet, politicam agyrtis plausibilem. Gemina fuit causa Recusii, sed dolosis adinventionibus protractior. De ea consultus ego respondi, artem arte eludendam. Deferret Spinomantæum (*P. Cæsarem del Bosco*) apud Monarcham, quasi de ejusdem ignavia mutientem, ut cujus consiliis nutaret potius, quam staret Regnum; vicissim obscurè adverteret Spinomantæum (*P. Cæsarem del Bosco*) de insidiis à Monarcha (*Præp. gener. Societ*) tentis, ut officio motum releget ad glaciales insulas, odiis implicando imperiosam superbiam. Ita futurum, ut vel committantur infensissimè, provocatis etiam ad seditionem turbatorum animis: vel si dolus detegatur; hoc argumento doceantur ipsi, notas esse suas artes, quibus subditos ludificarent, nec struendum aliis malum, quod sibi nollent; nec astu sed prudentia et scientia regendos populos, animo, quod Orator noster notavit, non versuto, obscuro, fallaci, malitioso, veteratorio, vafro; sed qui decet, apertum, simplicem, ingenuam, discretum, justum denique & bonum virum.

CAPUT. XIII.

Considerationes circa Judicia Solipsorum (Jesuitarum)

QVæ de judiciis, eadẽ de legibus hic quoque non extra scamnum dici possunt. Judicia sine jure tractari, prorsus ab humanitate alienum, sed neque tolerabile subditis contra Magistratus merito conquerentibus, qualecunque jus & æquitatem adimi: ne quemadmodum iniquè causantur, contemnere dominos assuescant, ac paulatim in Monarcham insurgant; futurum alioquin, nemo ut Magistratum ineat, confusaque Monarchia aditus ad Anarchiam patescat. Dignus prætextus, quo &

ſubditi opprimantur & Magiſtratus citra reatum impunè quidvis admittat ex *Monarchæ* (*Præpoſiti Gener. Societ.*) lubentia; quæ non ſemel pretium tulit, fertq; in dies ingenuis tantam iniquitatem non ferentibus, ſuaque manu vindictam ſumentibus. Vidi proinde ab his *Magiſtratus* non perfunctoriè vapulâſſe, qui cum accuſarentur ad finitimos Principes ſeſe recipientes, cauſam liberè dixerunt: feciſſe ſe amore juſti, quod *Monarcha* (*Præpoſ. gener. Societ.*) negligeret, eo ſolum culpandos, quod minus lacertoſi, pejora meritis vitam reliquiſſent: hoc modo in anteceſſum ſatis eſſe, facturos ſe impoſterum, ut Monarchæ officium facerent, aut certè ipſi quoque in jus ambularent. Turpe etiam ſervos *Monarchæ* favore, ingenuis dominari; adulatores ac delatores ſummo loco haberi, ſeria amantes & modeſtos nullo gradu cenſeri. Qua religione ſtimulatꝰ non nemo Aſianorum aliquando ad libertatem conclamavit, ſed enim ex miſeris infra ſervitia depreſſis, vix erat qui ad pileum reſpiceret, multò minꝰ, qui capita conferre auderent, quod Sacramento Nonæ legis alter alteri non fideret. Quippe ſolipſi (*Jeſuitæ*) nunquam tuta inter ſe ſocietate coaleſcunt, & contemta ſecreti ſanctitate, qui modò amiciſſimi, iiſdē paulò poſt inimiciſſimi, nullo vel ſanguinis reſpectu, modo gratiam Monarchæ (*præp. gener. Societ.*) adulatione & accuſatione, ceu teſſera fidelitatis unica, parare non ceſſent. Ea cauſa aliquando in diſcrimen vocatus, bono ſydere evaſi. Fortè cuidam, ut ſimulabat, amico oſtenderam Thema cœleſte, quo ex ritu Europæorum Principis finitimi caſum conjeceram: probavit homo verſutus, ac ut de capite Monarchæ (*Præpoſiti gener. Societatis*) noſtri periclitarer, callidè urgebat, jurans apud ſe clam futurum. Nec promiſi, nec abnui: is tamen velut ſponſione capta rectà ad *Monarcham* perrexit, & mentitus iniquiſſimè denuntiat, tanquam ſi *Magicis* Europæorum characteribus de capite *Monarchæ* (*Præpoſiti Generalis Soc.*) cum diris pereg. ſſem. Nec mora, inter inopinas apparitorum manus Majeſtatis reus acclamor & coram Monarcha excutior, profertur è femoralibus charta genethliaca, ſed lecto Principis Europæi vocabulo, mendax accuſator deferbuit, non erubuit.

Juſſus evolvere prognoſin & rei non fallentem in Europa eventum, peritiæ laudem tuli, tum ut *Monarchiæ* quoque Solipſorum *(Jeſuitarum)* futuros ſucceſſus in figuras referrem, ab ipſo *Monarcha (Præpoſ. gener. Societ.)* monitus; reſpondi, rem eſſe ſupra artis metas, quod Europæi virtuti ſyderum influẽtium ſubjecti eſſent, Solipſorum *Monarcha (Præpoſitus generalis Societ.)* ſuperior cœlo & aſtris, conſtellationes manu regeret, alioquin Evimæum antequam accuſâſſet inſtantiſſimè flagitâſſe, ſi quid poſſem, in *Monarchæ* caput procuderem. Ita ſaluti meæ conſului, ac ut Evimæus gradu dejectus luce careret, ex lege confectum eſt. Sed is neque tum adulando defecit, perhibens denunciâſſe me ab ſe non ut plecterer, ſed ut de peritia commendarer. Dii maluerint meliora, atq; talem commendationẽ averruncâſſint. Adhuc verò duriꝰ fortaſſe ſit prudenti imprudentiq; Principi perinde conſentire, mentem, ajenti, neganti venalẽ accommodare, ſenſum animi ducem pervertere, quos denique ipſe perperam odit perditos velle. Quoties id coram Satrapis *(patribus aſſiſtentibus)* deteſtatus, natura ipſa reclamante execrabar? Sed fruſtra & ſurdis fabulam. Amici ut abſtinerem nutu advertebant, in ſpeciem contradicebant, ne delatoribus obnoxii forent. Lepidum eſt quod narro. Delatus nonnemo, quod Præſidem Regni Pactelıſonavi torviùs aſpexiſſet (luſcus erat) ſecuri adjudicatus eſt; abreptum ab adſpectu Principis & jam ducendum ad ſupplicium, cuncti certatim verbis opprobrioſis, crepe-rós ictus minati, impetere. Ego miſeratus hominis olim amici vices, forte interceſſi, ac ut iniquam fortunam patienter ferret hortari blandius cœpi. Tum apparitorum Præfectus, ſemihomo, & qui nuper ex patibulo ſe in aulam injecerat, adulando mentiendoque huc progreſſus, horrenda voce inclamare, trucesque oculos fœdè diſtorquere. Quid tu, inquit, mortalium audaciſſime ſolaris, quem *Monarcha (Præpoſitus generalis Soc.)* perditum cupit? Jam jam ſocius criminis pœnam dabis. Dixit & obtorto collo ad MONARCHAM raptari jubet. Momento plures centenis accuſatoribus adſunt, deponunt me nullo eorum reſpectu, qui MONARCHÆ placituri, damnato ad ſupplicium inſultâſſent, inter manus penetrâſſe & morituro ad aures inſuſurrâſ-

 ſe, qui-

ſe, quibus ipſe arriſiſſet. Id quia in contemtum Principis redundaret, ridere jus & poteſtatem jubentis, me reum eſſe mortis. Reſpondi, hortatum me, ut mortem miſer fortiter ferret; hoc ipſum, clamabant illi, eſſe contra mentem Monarchæ (*Præpoſiti generalis Societatis*,) ſed tamen plura alia noxia dixiſſe me jurabant. Inſtanti, ut quænam illa eſſent, in medium proferrent, aut neſcientes ad mortuum ſciſcitaturi pergerent; ludum improperant, & ridentem nova accuſatione petunt. Cæterum Monarcha (*Præpoſ. gener. Societ.*) nutu ſilentio imperato, ut ſi quid amplius morituro dixiſſem enunciarem, ſerio mandavit. Reſpondi facturum me libenter, ſed remotis arbitris, ne myſteria vulgarentur. Diſceſſere omnes, & ego ex gentis more, quoties luberet mentiri doctus, retuli: Tria me commendâſſe morituro. Primum ut quo loco apud Inferos eſſent Monarchæ (*Præpoſiti generales ſocietatis*) & Satrapæ noſtri (*patres aſſiſtentes*) renunciaret. Alterum ut ſi qui modus foret Monarchiæ etiam apud Inferos proferendæ, edoceret. Tertium, ut quidquid tandem iſtic novi accideret, certiorem faceret. Ita enim argumentabar, ô Monarcha (*Præpoſite generalis Societatis noſtræ*) potentiſſime magnam me apud te gratiam initurum ſi quæ in cœcis illis Regnis agerentur, tibi indicarem; quando quę in hoc mundo geruntur, quamplurimi ſunt, qui placendi ſtudio partes præoccupant & mendaciis exaggerata referunt, nunquam ut ego tempori adſim. Atque hæc ſumma ſermonis cum morituro fuit, novo tibi placendi ſtudio, ſi verum amas. Probavit Monarcha (*præp. gener. Societ.*) ingenium, ac ut clam aliis, quæ ex Inferis accepturus forem, ſedulo referrem rogavit, & mox patefacta porta, mirantibus, qui foris præſtolabantur Satrapis (*patribus aſſiſtentibus*,) me non ſolum ſacris conſiliis et ſcriniis intereſſe juſſit, verum ut cauſas omnes cum abſoluta auctoritate cernerem, publicavit. Vidiſſes mutatos repentè plurimorum vultus, quibus mendacium & adulatio cenſus erant; plauſiſſe alios, qui reſtrictam ad ſtabiles leges diſciplinam amabant. Equidem foro uſus indignos muneribus arcere, bene meritos fovere, ex Europæorum inſtituto æquitatem moderari, perſonas

nas non acceptare: ita me Orcinis amici mortui oraculis moneri perhibebant. Quid plura? ut infanda delatorum capita deprimerem sexcentis una nocte numellis medio loco locatis, interjectis inter singula centena quinis crucibus, spectaculum Juris edidi: totidem insertis collis visebantur adulatores, & ex crucibus singuli pendebant delatores, qui proposita & jurata pœna talionis, probando defecerant & calumniarum manifestò comperti. In his tres quoque Satrapæ (*patres assistentes*,) nuper Præsides Provinciarum (*Provinciales Societatis.*) Ita factum, ut deserta pene aula Monarchæ (*Præpositi gener. Societ.*) videtur, procul prehensatoribus & reliquo hominum fuco, paucis admodum bonis, qui in munere suo versabantur, ejusdem conspectui sese offerentibus. Causam rarioris officii & servitiorum sciscitatus ille; deductus est unde ex patentiori loco in forum prospiceret, attonitisq; oculis hæsit in numellatis ac patibulatis, quidque id rei esset tremebundo ore quærens, audiit ex accenso: hoc te spectaculo, ô Monarcha, recreat Cornelius, quem nuper extulisti: si pergit, de Monarchia brevi actum est: sublatis enim adulatoribus ac delatoribus, qui te variè erudiant, ignorantia; aut tædio tabescas necesse est. Motus ille ad hæc continuò acciri jubet, ac cur ita fecissem, rogare. Respondi, sic me jussum à mortuo, minis quoq; tibi intentis ni citò paruissem: quod præstaret nebulonum genus è medio tollere, quam horum facinoribus damnata Innocentia Monarchiam probrose regi: nec me inclementer egisse, vita relicta iis, quorum cervices numellæ coërcent, fame duntaxat emaciatis, & hi quidem sunt effrontes adulatores, qui victum, & honores meritis debitos manticulãdo adhamant. Cæteri qui ex furcis enecti pendent, gratiam tuam fictis innocentum accusationibꝰ nundinari soliti, quod pœnas talionis juxta leges Monarchiæ constitutas non pendissent, hac vice luerunt; fortunati, quòd uno, nec productiori supplicio perierint, majoribus digni. Ex hoc genere servantur adhuc in custodiis millenis ampliùs, quam primum die rectis addendi. Ita spero futurum, ut sublata paulatim hac nefariorum colluvione, me consule & Judice, Monarchiam stabilitum eas. Obstupuit

puit Monarcha (*præp. gener. Societ.*) nec quid contra redderet occurrit; diriguere & stipatores, quos inter Colosbidozarus, de quo aliàs dictum, animo defectus, lectica delatus est; paulò post coacto absque me residuo Senatu, mutilo sanè & manco, ut Judicis officio cederem, decretum est; mox etiam jussus porrigere nomina designatorum ad Crucem, cum inter ea Colosbidozarus quoque hæreret, hic metu exanimatus, non antè fugientem spiritum revocavit, quam audisset me cessisse. Et agebatur solertissimè de tollendo è vivis, nisi timuissent coalito cum mortuis fœdere funestiorem, quàm à numellis & crucibus me facturum Monarchiam. Cujus rei non multò post, nescio quid, ludicri spectaculi speciem adstruxit. Fortè Libanotius (*Episcopo Maronitarum*) Ritanorum (*Maronitarum*) Principis Legatus; per Confinia Solipsorum (*Jesuitarum*) iter faciens, in morbum incidit atque etiam intra paucos dies vita functus est. Musarbanus (*Abrahamus Maronita*) Collegam sepulturæ traditurus, proximæ Urbis Solipsorum Arontiæ (*Collegii Maronitarum urbis*) gubernatorem Tiraphernum (*Patrem Ferrantinum Jesuitam*) adit, rogat liceat sibi in communi civium fano cadaver sepulturæ mandare, & justa tanto viro ex more persolvere: facturum se ut Libanotius (*Episcopus Maronitarum*) Princeps tanti memoriam beneficii, regio præstaret officio. Negavit Tiraphernus (*P. Ferrantinus Jesuita,*) & nequicquam jura gentium causatum, inhumanè rejecit: quid enim impenderet mortuis, viventibus odiosus? Excanduit Musarbanus (*Abrahamus Maronita*) & convitio jacto indignans recessit. Mox coacta suorum manu impositum carro cadaver, junctis elephantis, pluribusque circum tædis accensis advexit: ut prope mœnia ventum, custodes barritu & insolenti sub auroram luce territi, diffugiunt, & Tiraphernо (*Patri Ferrantino Jesuitæ*) prodigium narrant. Is dum arma amens capit suosque excitat, Masarbanus (*Abrahamus Maronita*) interim vi patefacta Urbis porta infunditur & jam medio foro funus ducit, stupentibus ad inusitatum adspectum Arontiæ (*collegii Maronitarum urbis*) populis, quos nec tecta nec fenestræ capiebant. Adest & Tiraphernus (*P. Ferrantinus Jesuita,* inclamat

mat retro se agant nolle se peregrinis exuviis religionem fanumq; suum polluere. Musarbano (*Abrahamo Maronota*) negligente insaniam, & qui funus agebant, ordine servato, lessum prosequentibus. Ille manus admovet & Sacerdotem thura parantem humi sternit, suosq; ut vim tentent vociferando urget. Tum Musarbanus (*Abrahamus Maronita*) tempus adesse ratus, sociis quid facto opus innuit, qui abjecta continuò pulla, ut parati erant, manus exerunt, nec tamen gladiis, sed facibus rem gerunt; in ora Solipsorum (*Jesuitarum*) flammeos ictus vibrantes. Sistit intereà funus, & qui in carro erant curatores, erecto etiam casu an studio cadavere, quasi ad spectandum suum trophæum, jaculabantur in adversos, quidquid aut stuppæ, aut picis, aut ceræ ardentis funeri præparârant, ejulantibus Solipsis (*Jesuitis*,) quorum vultum, vel manus ferventes guttæ contigissent: neq; hoc solum, sed laxatis elephantis, quos jam flammæ agitatæ ad ferociam accenderant; ubi hi adversos proterere cœpissent, clamor ingens Solipsorum (*Jesuitarum*) exoritur pacem deprecantium, nec se cum mortuis præliari velle ingeminantium. Ita plusquam panico terrore correpti dant manus. Ipse ante alios Tiraphernus (*P. Ferrantinus Jesuita*) ambustis oculis, barba, mento, naso, auriculis, primus adorat, & facturum se jussa jurat. Sic pugna sedata, reclinato cadavere, funus perrexit. Cecidere ex Solipsis (*Jesuitis*) sexcenti; totidem vultu deformati, monoculi, barba crinibusq; deusti, nasis picatis, collisq; cæcomaticis. Ex Ritanis (*Maronitis*) unus ê carro, dum fortius agit in subjectos proruens solutis caligarum ligulis ridiculo spectaculo nates attrivit. Atq; hoc genus prælii, finitimis circum populis diu & terrori fuit & risui, sed Solipsis (*Jesuitis*) ingenti pudori, exprobrantibus barbariem Tiraphernі (*P. Ferrantini Jesuitæ*) plerisq; Principibus. Super omnia terruit Vibosnatum (*Patrem Mutium Vitellescum Præpositum generalem Societatis*,) quod rumore incerto accepisset, â mortuis Arontiam (*collegium Maronitarum urbis*) expugnatam. Id Lucii Cornelii factione ex nupera offensione obvenisse suspicatus, ne quid simile Regiæ suæ intentaret, hominem lenire & pristinis

honoribus ornare statuit. Verùm paulò post certior factus, destitit. Missis quippe à finitimis qui docerent, & Tirαphernum (*P. Ferrantinum*) inhumanitatis accusarent de eo in ordinem redigendo cogitavit. Quare communicato cum Satrapis (*Patribus assistentibus Societ.*) consilio, perpetuis vinculis mancipandum decreverat, nisi fuisset, qui hominem adeo deformatum & cui timor ex ea rixa fixus, ultro spiritum extrusurus erat, parcendum esse persvasisset; proinde vocaturo à munere, gravius nihil actum est, quàm ut pudori suo relinqueretur. Porrò tum ipse tum residui Solipsorum (*Jesuitarum*) sæpiꝰ testati sunt, se non tam elephantum, aliove terrore perculsos concidisse, quàm cum erectum è feretro cadaver, cominus existimâssent faces vibrare; tum sibi visum inconsultum pugnare cum iis, qui mortui quoq; bellaturi forent. Ridiculi homines, orbi terrarum leges se dare somniant, neq; tamen discernunt inter larvas & veros vultus. Placuit hæc describere memorando magis strategemate, quàm cum Hastingus ille Danorum Dux tot scriptoribus decantatus Lunam Liguriæ Urbem imaginatus Romam esse objecto per dolum funeris sui ductu, diripuit, non facibus sed gladiis cives interimendo.

CAPUT XIV.

Comitia & Consultationes Solipsorum (Jesuitarum.)

COmitia Solipsorum duplicis sunt generis; Majora quæ generalia vocari lubet; Minora, quæ singularum Provinciarum. Illa rarissimè & nisi in Interregnis, ad novum Monarcham (*præpos. generalem*) legendum vix coguntur. Vacante porrò Monarchia, Præfectus Prætorii (*Rector Collegii*) auctoritate Vicarii jus dicit, & ex omnibus Regnis evocat Satrapas (*Patres assistentes Societatis*) quibus in eligendo suffragium est. Ii omnes constituto die in Regiam conveniunt. Hic præmissis diris & execrationibus si quis vel secreta evulget, vel in non idoneum conspiret, in conclave numerosissimi se abdunt, adhibitisque ceremoniis & sui ritus carminibus, tandem ad plura vota, nominant, quem Monarcham (*Præpos. general. Societ.*) esse contigerit.

gerit. Nec multum ambigitur, præjudicata jam ſorte, quando ex defuncti Monarchæ arte, res ita diſponuntur, ut non eligatur, niſi quem ipſe deſignârit, nemoq; illo dignior communi errore cenſeatur. Solent enim Monarchæ unum, alterumve ad ſuum ingenium factos præ cæteris, omnibus iis muneribus adhibere, è quibus proximè gradu fit ad ſolium: His vero diſpoſitione Monarchæ alternis ſibi in eadem provincia ſuccedentibus, aliisq; excluſis & in ordinem redactis: conſequens eſt, ut Satrapæ electores, non in alios colliment, quàm quos dictis honoribus perfunctos nôrunt: quippe viri ſapientes perſvaſum habent idoneos non eſſe Monarchiæ regendæ, niſi qui præſides provinciarum (*provinciales Societatis*) malè an benè eas adminiſtrâſſent. Quo pernicioſo errore fit, ut ex duobus tribusve nauci homellis, non alio talento, quàm favore Monarchæ (*Præpoſ. gener. Societ.*) præter meritum conſpicuis eligatur, qui veſtigiis defuncti inſiſtat, & ſexcenti poſtponantur, qui tametſi regendo Manarchæ ignavia, non fuerint unquam adhibiti, eam tamen ſapientiam & prudentiam ad moderandum afferre queant, ad quam illi craſſiſſimæ Minervæ & nunquam ſatis dedolandi perventores, adſpirare nec ſciant, nec auſint. Sed hoc eſt ingenium verſutæ philautiæ nolle poſt regnare meliores, qui rebus reſtitutis famam defuncti obſcurent, neq; interim magni facere, quidquid Reſpubl. Succeſſoris inertia detrimenti faciat. Ad Comitia redeo. Monarcha (*Præpoſit. general. Soc.*) electo, fit illico tympanis pulſatis concurſus omnium, & genu flexo, libatisq; dexteræ oſculis geminantur applauſus, nihilque non terſæ adulationis ingenioſè funditur, tanta amplificatione, ut non humana induſtria, ſed divina manu rectam ferant hominis electionem manifeſtis portentis oſtenſam, quod nempe illa nocte non pluerit, quod ſub auroram moloſſi latrârint, quod ad egreſſum novi Monarchæ ex conclavi, muſcæ culicesque frequentes prævolârint & id genus plurima, quæ deinde compoſitisſimis verbis, dicto ſcriptoq; in vulgus ſparguntur, ac præſertim è concione confirmantur, ſingulos laudatores Monarcha (*Præpoſit. general. Soc.*) paratis ad id præmiis donat; præ

aliis habet, quos adulando excelluisse judicârit. His, penes ipsum stata stipendia numerantur, nec unquam à latere amoventur, nisi cum honoris causa in Provincias eunt; iidemque omnia apud Monarcham possunt, solertissimi voluntatum voluptatumq; conjectores; unde & aliis fortunam perinde parare, & destruere callidè nôrunt, ut nisi hos omni spe & studio tibi devinxeris, spes omnis jucundè vivendi decollet necesse est. Quod ad minora comitia spectat, ea singulis lustris coëunt, latisq; suffragiis legunt, quem ad Monarcham (*Præposit. generat. Soc.*) referendi causa mittant, & cavetur in his quàm maximè, ne quid in deliberationem veniat, unde Monarcha notari queat, dissimulato interim publico malo. Conveniunt proinde ex omnibus Regnis & Provinciis frequentes ad urbem regiam, & singuli Monarchæ dona eximia ferunt, argumentum honoris & devotæ subjectionis. Ubi in secreto consilio capita conferunt princeps negotium, propter quod vel solum tractandum missi venerunt, ad roganda videlicet rebus quàm maximè poscentibus Comitia majora, studiosè celant, caventque unicè, ne vel mentionem injiciant, certi de offensa Monarchæ, quem dictis Comitiis repurgatum eant. Quod si Monarcha ipse callidè simulans instet, negant illi perfrictè & præfractè, operæ pretium esse, cùm omnia rectissimè habeant, & à sagacissimo, omniumque mortalium sapientissimo, ac planè divino Monarcha, supra omnium Numinum providentiam gerantur, cui idcirco Nestoreos annos optant, atque ut in Comitiis quibus Majoribus solet, omnia imposterum etiam ex arbitrio regenda commendãt, & hinc Ilias illa tot bonorum. Hic finis Comitiorum: in quibus ne tot impensis nihil egisse Satrapæ (*patres assistentes*) existimentur, ad retrimenta quædam negotiorum redeunt, & serio coram *M*onarcha deliberant, utrum imposterum physitergia in Civitatibus linea, an chartacea esse oporteat; An frixoria ahenea vel potiùs ferrea ad artocreas adhibenda. An equitando micturos in itinere, spongia potius quàm lagenula uti conveniat, pluraq; hujusmodi quæ recensere perlongum esset. Ita demum consiliis & constitutis in Acta redactis & *M*onar-

chæ

chæ ſigillo manuque munitis in Provincias redeunt, & præclaro de geſtis fuco ſubditis anhelantibus ad res novas facto, Reducialia læti celebrant. Hæc de Comitiis. Ad Conſultationes quod attinet, nihil illis frequentius in aula Monarchæ, ut his fere dies noctesq; traducantur, admiſſione interim Principibus quoque viris excluſis. Sunt item eæ majores & minores: hæ quot fere diebus; illæ ter in hebdomada habentur. In his Satrapæ (*Patres aſſiſtentes*) cum ſuis honoratis adſunt Monarchæ, & de Provinciis ſuæ fidei commiſſis referunt, quæ à Præſidibus Provinciarum (*Provincialibus Societatis*) perſcribuntur, tractantq; ſinguli ſingularum negotia. In Majoribus omnes unà Curiæ Satrapæ conveniunt, & de omnibus Regnis Monarchæ ſubjectis conſilia capeſſunt, quæve in rem opportuna videntur decernunt. In omnibus univerſim deliberationibus, ſcopus unus eſt, dilatatio Monarchiæ & Monarchæ exaltatio: medio Principum per Idoneos Legatos expectoratio. In quibus eligendis, rogantur à Monarcha (*præpoſ. gen. Societ.*) in ſpeciem Satraparum (*patrum aſſiſtentium*) ſuffragia, ſed reipſa nutu Monarchæ jam præcepta. Solet enim, ut hominem ad ſalem ſuum natum mittat, hujusmodi ferè oratione præoccupare. Venerabiles & nobis fideles Satrapæ (*Patres aſſiſtentes*) Provincia & Regna Traburcana egent novo legato & Præſide; nobis præ omnibus eſt Dorius Doridontius, placet tamen & veſtras laudationes audire. Tum Satrapæ (*Patres aſſiſtentes*) cervice prona, ut vulpes in fabula, coram Leone, impræmeditati annuunt laudantq; Dorium, vix dignum Agaſonem, & Monarcham à ſapientia efferendo, perorant. Eum nempe aut locutum cum Jove, aut Jovem in ipſo, nihil ejus conſiliis eſſe ſapientius, nihil perſpicacitate magis providum. Ita naribus velut annulo inſerto trahuntur ad votum Satrapæ fitq; Dorius Legatus Provinciæ, qui nuper à dejectionibus olliſq; tergendis faciebat. Similes ſunt proportione quadam Præſidum in Provinciis, cum ſuis officiis & optionibus, & Gubernatorum in urbibus eadem normà & fine, congreſſus. Et hæ quidem Majores univerſim cenſentur Conſultationes. Aliæ minores vel

ſecunda conſilia habentur in aula Monarchæ (*Præpoſit. general. Societ.*) & ſigulis per regna, & Provincias Præſidum, Legatorumve domiciliis: coram Vicariis & certis Accenſis, in quibus ea ferè aguntur, qui ad menſas & reliqua Aulæ miniſteria ſpectant; An quot fercula apponuntur, tot pocula adhibenda: An Catapoſia quæ vocant Regia contuſa & decocta, præterquam Monarchæ & Satrapis paſſim porringenda. An tempora prandii & cœnæ producenda. An recta cœna more antiquo accumbendum, cultri ſingulis trimeſtribus ad cotem ducendi, & ſexcenta id genus. Verum hic non omiſerim dignam majoribus rem Comitiis, etſi minoribus peracta ſit. Venerant miſſi, à Senceſtanis populis (*Catanenſibus*) rogatum; liceret eis frigidam ex proximo Muravenii puteo haurire, quod aqua paluſtris, cui hactenus malo ſuo aſſveviſſent inſvavem præberet potum, & præſertim Sirio urente, maximè inſalubrem. Negavit Monarcha (*Præpoſitus generalis Societ.*) audientibus & laudantibus Satrapis (*patribus aſſiſtentibus*) & inſtantibus demiſsè Senceſtanis (*Catanenſibus*) referri juſſit: Majores eorum hoc potu paluſtri à ſæculis uſos, nunquam de ea cauſa morbidos fuiſſe, nedum mortuos: præſtaret porrò eorum æmulatione fortiter, ac patienter durare. Commovit unum ex miſſis (*Monacuſio nomen*) tam iniqua repulſa; & illico invidioſo Elencho retundens; præſtaret, ait, & Monarcham (*Præpoſitum generalem Societatis*) prædeceſſorum ſuorum exempla ſequi quorum nemo Regia quotidie potione Dianorum, magnis ſumtibus paratâ uſus, diu nihilominus provixit. Quod ſi à ſe facit tantis impenſis cur ſubditis iniquior eſt, quibus frigida præterquam labore bajuli, pretio nullo conſtat. Non defuit ſolertia Nuntio neq; fides, continuoq; ſeqvuta vindicta, ut Monacuſius exularet, nec niſi eo vita functo Senceſtani (*Catanenſes*) beneficium frigidæ ſenſerunt, ceſſante Majorum reſpectu & præceſſorum apud Monarcham, de more ſuo, cum Satrapis (*patribus aſſiſtentibus*) non remittentem.

CAPUT XV.

Induſtria Solipſorum (Jeſuitarum) *in Monarchia propugnanda.*

Diximus

DIximus ſemel omnia Solipſorum (*Jeſuitarum*) tendere in Monarchiam proferendam, & Monarcham extollendum. Id ſane meris artificiis unicè procurant: quidquid unquam boni rentur in moribus peregrinis, ad ſe derivant, nec aliunde accepiſſe, ſed felicitate ſua ſe adinveniſſe gloriantur. Id jam in Gymnaſiis quoq; uſu venit, ut compilatas deſcriptasq; ſæpius ex verbo Europæorum, Aſianorumq; doctrinas, ſuas faciant. Ita ſcriptores innumeri in dies, ut fungi enaſcuntur; & ſi quid ipſi novi ſuo Marte cudunt, paradoxis ſcatet, ut mare Conchiliis. Fuit, qui inventam à ſe novam, ut videbantur, quæſtionem profligaturus, unius anni diſpendio diſcipulos oneravit. Quærebat verò, *An barba felis un i eſſet ſpeciei, cum proboſcide Elephantis*; cujus quæſiti appendicem problematicam edidit, *de antiquis Heroibus in culices converſis, ita ut haſtis amentis in Gigantes pugnarent*. Ad filum redeo. Manet Monarcha Prantaticuræ ſuæ Regiæ perpetuò affixus, niſi cum animi gratia aliquot lapides ſecedit, unde ad viſitanda regna, nunquam ſeipſum effert, ſed cum poteſtate mittit viros plerumque flocci, quorum ingenio res Regnorum ſtat caditque; Regna & urbes non continuo territorio, ſed ſparſas per exterorum Principum Provincias habet: plerumq; in meditullio, ita ſe miro aſtu, & vallare exterarum urbium cuſtodia, vicisſimq; in eas ſub jugum ducendas velut è ſpecula, jactant intendere; & hactenus admirabili ſucceſſu, modicisq; quod huc ſpectat expenſis evaluerũt, valebuntq; impoſterum, niſi Principes officii admoniti ſervitutem imminentem avertant; ſi tamen Monarchia deinde jam cœpta non priùs exſcindatur. Hoc ſtatu non ſua ſolùm, ſed omnium aliorum Principum geſta, arcanaque conſilia callidi venatores reſciſcunt, & Monarcham (*præpoſit. gener.*) per occultos veredos edocent, nec quicquam tutiùs, certiusque reliqui Principes, quam ex ore Monarchæ aſſequuntur: habet hic Emiſſarios ubiq; ſagaces, qui Principum animos capere docti, ultro in conſilia ſe penetrant, & præceptæ opinione ſapientiæ trahunt, quò volunt, ſcilicet ſpecie in amicitiam Monarchæ, re in obſequium & ſervitutem. Horum diligentia totus orbis facile

facile Solipsorum sceptrum hactenus paruisset, nisi effrenis dominandi libido prosperos successus corrupisset. Qua Principes animadversa, tempestivè caverunt, præclaro honesti prætextu, nolle se tanti Monarchæ abuti gratia, unde & Emissariis paulatim viam præstruxerunt. Quare cùm cœpta lentius procederent, monui clam Monarcham moderaretur animo suo, futurum alioquin, ut præsumtione Emissariorum, qui omnia auderent, provocata Principum conspiratio Monarchiam', aut everteret aut certe humiliaret: Sat notæ jam Solipsorum (*Jesuitarum*) artes exteris Principibus adulandi, fingendiq; technis pretium reliquere vilissimum. Addidi si meliora optaret, sub manu mihi esse consilium, paratumq; exequendo studium, id esse, ut admissa Evangelii prædicatione Romano Pontifici se populumq; suum, & universam Monarchiam exemplo aliorum Regum & Monarcharum obstringeret. Hic ille gravi supercilio interrumpens. Non est, inquït, è dignitate Monarchæ Solipsorum (*præpositi generalis Societatis*) ulli se obstringere, qui omnes sibi subditos velit: cæterum libenter Romanum Pontificem secundo loco se habitururum sociiq; & commilitonis appellatione decoraturum, si ipse legibus politicis Solipsorum (*Jesuitarum*) honestè pareat immuni Evangelio. In hac forma daturum se tabulas authenticas, missurumq; legationem, si primus eam Romanus Pontifex decenti submissione imploret. Plura in hunc sensum dicere parantem tussis inhibuit, me verò intestina commota officii monuere. Post horam reversus, potentissime, inquam, Monarcha, meliora refero, quid si Romanum Pontificatum ditionis tuæ fecero, quid præmii abstulero? Ad hoc ille velut è veterno curarum repente experrectus, et altum ridens. Dum vivo, inquit, secundas; demortuo me, ut primas obtineas lege faxo. Cui ego malim mille capita delatorum habere in præsentiarum, quàm ad futura ambigere, & intutò adspirare. Verùm ne consilium fuerit internecinum, vivant miseri, dum tuo bono, forsan & adulatores aliquando resipiscent. Hoc ergo cape consilium. Ex omnibus, quibus abundas fingendi, simulandi, mentiendi gnaris,

ris,mitte Romam,qui ſe in Aulas Purpuratorum callidè inſinuet & ſapientiæ famam aucupatus, Religionem quoque Chriſti omnibus omnia factus ſtudioſè repræſentet,tectis interim mente Solipſorum (*Jeſuitarum*) Sacris, ita in omnem ſectam paratus,ſi quando occurrat ſcripto ſententiam edere,cautè noverit, in quam partem ſacer Senatus inclinat, in eamque ipſe pedibꝰ contentim eat :quidquid animus veri in diverſum trahat;ita futurum eſt,ut placendi ſtudio, doctrinæque opinione vulgatus, facile in Purpuratorum collegium irrepat, iiſdemque artibus tandem ad Pontificatum aſcendat. Id ſi fuerit,fuerit verò citra dubium, Romanæ Eccleſiæ Principatus potentiæ tuæ cedet,accedet. Et ne te Emiſſarius fallat, duplici hominem ſacramento adſtringas,ut jam Purpuratus,Sacri Senatus conſilia quævis arcana, nullo ſecreti vinculo obſtante tibi pandat, & Pontifex Renuntiatus nihilominus obſequio tuo maneat obnoxius. Habens ſenſum conſilii: deinceps utere foro tuo. Audiit exultabundus,datoque osculo,immortalitatem ſpopondit. Poſtridie coactis Satrapis(*patribus aſſiſtentibus*)evulgatoque pectoris arcano, cum omnes miro cum plauſu aſſenſiſſent, divinitatem gratulati delectus ex omni numero eſt Salinus Genilosius (*Johannes de Lugo*) ad omnem horam, mentem, dictum, factum ipſe factiſſimus, qui Urbem æternam copioſus peteret, atque in eam rem feliciter intenderet, additis etiam ex ordine plebejorum (*Laicorum* ſeu *Coadjutorum temporalium Societatis*) fidis,& catis latronibus, qui geſtorum omnium obſervantiſſimi Monarcham (*præpoſitum generalem Societatis*) edocerent.

CAPUT XVI.

Varii rerum apud Solipſos (Jeſuitas) *eventus.*

SAlino (*Johanne de Lugo*) profecto in Europam, Monarchæ (*præpoſ.general.Societ.*) & Satraparum (*patrum aſſiſtentium*) animos curæ angebant, ne aut ſpes falleret, aut ſi Salinus (*Johannes de Lugo*) ad Pontificatum perveniſſet veteratoriè illuderet, utpote venalem habens opinioſiſſimam in contraria mentem,& placendi ſtudio omnia probantem. Quibus dum æſtuaretur,

retur, certatim aderant, qui sales sererent. Et ibant quotidiè in forum & compita, qui eos à peregrinis nundinati *M*onarcham oblectarent, forte advenerat circulator Ægyptius: hic in media platea ligneo crocodilo insidens, de Luna gerras serere. Ajebat Lunam aliud nihil esse, quam ingentis rotundi casei formam, cujus quotidianum decrementum in Deorum convivia cederet, quoad veteri absumto recens per menses apponeretur: eadem forma ac magnitudine. Quæ fabula ita *M*onarchæ (*Præposito gener.*) arrisit, ut accersitum coram audire, cupido incesserit. Venit ille auditusque & multis interrogatus, reddidit se eam doctrinam ex iis quibus comitâsset accepisse, qui prætereà profiterentur in Cœlo campos esse, lacte, butyro & melle manantes, nonnisi ad lacticiniorum frixorum, & dulcium jurulentorum usum. Illos pone adesse in foro, dicturos plura inaudita, si *M*onarchæ luberet. Dictum factum: vocati & admissi Monarcham primum adorare, vultu subtristi, sed qui Philosophos decet, macie reverendo; mox Senior os patulum in hæc verba laxare: Salvus sis Monarcharum maxime, nostra, tuaque si sint Numina te sospitent: de cœlo servavimus, meditari te Regnum proferre, ultra quam olim bella Gigantum sese explicuere. Adsumus opportuni si audias & Regnum, de quo dixit Ægyptius ditioni tuæ subdituri: simulque exhibent auro argentoque pictas affabre divorum imagines. En cives Regni illius quam decori, quam vultu amabili & augusto: brevi tibi sacramentum dicturi; mox & horologia promunt curiosè facta, & demensa diei, noctisque spatia tinnule loquentia. Hæc ajunt manu nostra fabricata, solis cursum signant, morantur, incitant ut lubet: unde scias, quæ nostra in rerum universa potestas, experimentum postridiè capturus. Mane descriptas vario colore in muris editioribus horas solares, signaque cœlestia monstrare, & respondentes ad amussim cum umbra gnomonis lineas, sonantesque momentis iisdem ex adverso malleolos cum ostendissent, attonitum reddidere Monarcham. Et roganti quid præmii vellent, nihil aliud ajebant, quam de Regno Cœlesti pro concione verba facere. Annuit & postridiè coram frequentibus ordinibus de glo-

de gloria Regis, de opulentia Regni, bonorum omnium affluxu, malorumque absentia copiosè dixerunt; contestati, facturos se Monarcham ejus Regni Tyrannum, si dictis fidem haberet. quibus cum pruritu acceptis, vicissim ille promisit, adepto eo permissurum se eorum potestati Solem, Lunam & Stellas, ac ut regendo tempori perpetuò præessent. Convenit utrinque. Mox isti concionales facti, nec tempus, nec modum servare, sæpius excedere, & sua horologia suo sensu moderari, rarius contractis, sæpissimè productis ad incerta spatia sonis Sed enim deprehendere dolum, quibus aures ad ventrem Satrapæ; sensit & Monarcha inanis, ad quem esurientes Satrapæ (*patres assistentes,*) homines isti, quos dominio Solis, horarum & temporum donâsti, si nondum inito Cœlo, miserè adeo nos vexant, quid facturi sunt eo adepto, nihil propiùs, quam ut productioribus horis fame, contractioribus apepsia necent, te quoque tuo Regno, quod in præsens possides, exuturi. Expedit proinde rescisso pacto, quamprimum eos tota Monarchia facessere. Dum deliberatur, adsunt alii & admissionem petunt, dicturi quædam ad palatum Monarchæ (*Præpositi general. Societ.*) Introducuntur homines barba hispidi, cannabe cincti, nudi pedes, vertices rasi, epomidibus à tergo pendulis, & adorato præbent humilia dona, ceras figuratas, chordulas contortas, imagines chartaceas fumo tinctas. Quas ut adspexit Monarcha. An & hi, inquit, cœli cives? quam dissimiles prioribus! nisi forte plebejos referant. Iterum, num & vos promittitis cœlum, si fidem habeam? affirmantibus illis, qua possent, si permitterentur Evangelium docere. Consensit, sed addito pacto, ne Solis, Lunæ, Stellarum, ulliusque temporis dominium usurparent. Mirantibus illis, nec simile quidquam affectantibus permissum loqui. Illi postero die coram Monarcha (*præposito General. Societ.*) & Satrapis (*patribus assistentibus*) de peccato primi hominis, de redemtione per Christum crucifixum breviter & nervosè dixerunt, prolataque in medium effigie Crucifixi, omnibus non admirationem minùs, quam horrorem incusserunt: auditique clamantes, aut delirare, aut mentiri centonatos istos garrones, (*Capucinos seu Franciscanos*)

 qui

qui Regem Cœli Crucifixum vociferarentur, quem priores gloriosum prædicâssent, nisi hic plebejus sit, diversus ab altero, & ob noxam plexus cujus hæredem indecens est esse *Monarcham*, vel si dono cederet. Tum acciri jussos *Monarcha* (*præpos. gener. Societ.*) cū mente sanos, & verbis simplices deprehendisset, priorum vaframentum conjectans, ut dolosi honorum & opum manticularii à fuga retraherentur mandare. Verum illi jam excesserant nunquam redituri: nec meliorem Centonatis (*Capucinis*) liquere, quod Laus Crucifixi Regis barbarorum auribus gravis & absona esset. Ut nihilominus in Regno manerent, quotidiana stipe victuri, nullisque noxii ob causam continuò memorandam, permissum est.

Caput XVII.

Salini Genilosii (Johannis de Lugo) *ex Europa literæ.*

FOrtè adfuere ex gente erronum, portitores literarum, compresso fasciculo, missi ex Europa à Salino (*Johanne de Lugo*) immani pretio angariati. Is inter alia renunciabat Vibosnato (*P. Mutio Vitellesco Præpos. General. Societatis.*) de prospero suo in Urbem adventu, de benè cœptis, postquam simulata religione baptismate tinctus in Vaticano fuisset, de annua pensione constituta, in honorum sustentationem, de opinione doctrinæ antecapta, cæterisq; præsidiis ad sublimia gradum ostendentibus, nisi fortasse fata favorem Purpuratorum corrupissent. Id verò ajebat, se metuere ob non paucos; qui à Solipsis (*Jesuitis*) proscriptis huc evasissent, & coram Principibus Europæis turpissima nota nomen Solipsorum (*Jesuitarum*) traduxissent, irritatis omnium animis, qui nisi eversa, vel depressa Solipsorum (*Jesuitarum*) *Monarchia*, quieturi vix forent. Nec sibi è re videri, ut respondeat, vel excuset, nî fictionem prodat, sed magis ut vituperet, quando ipsi proscripti Salini (*Johannis de Lugo*) potissimū auctoritate dictis suis robur sufficiant. Facturum se nihilominus si possit, ut clanculario scripto in vulgus sparso refellantur. Pergit deinde ad objectorum præcipua capita. Solipsos (*Jesuitas*) nulla nedum gentium, sed nec naturæ lege vivere; omnia

Monar-

Monarchæ(præpos.gener.Societ.) libidine constitui, hominis nec ore, nec pectore constantis, semperque injusti, ut qui modestos premat, insolentes foveat, cujus gloria sit mancipio habere ingenuos, dominari velle plebejos, nulla præmia præclarè factis, supplicia peratrocia decernere minimis erratis, nullo juris processu, sed temere & perperam judicare, fictè agere, idem affirmare, idem negare, iniquos delatores impunè servare; verbo, regnum impotenti affectu regere, leges omnium gentium sus deque habere, se unum mortalibus omnibus efferre, ac ut orbem terrarum sub jugum ducat, omni studio contendere. O quam in hi metuo, ajebat hoc loco Salinus(*Johannes de Lugo*)ne conjecto adventus mei scopo, luam proditoriè; sed hactenus cautam servo mentem, tuis tuæque *Monarchiæ* vituperatoribus obsecundans. Illud etiam acerbissimæ iniquitatis plenum esse dicunt, plerumque per multos annos dirè plecti miseros, nulla eis causa indicata cur patiantur, ne aut justitia se tueantur, aut innocentia. Interdum verò ex levissima culpa, quæ verbo emendari poterat, *Monarchæ*(*Proposito gener. Societatis*) & Satrapis (*patribus assistentibus*) invisos, tametsi aliàs dignissimos, abstineri perpetuò ab honoribus & muneribus, ipsis insciis nec monitis cur negligantur, eoque tabescentibus. Denique complures, nulla legitima suspicione vocari in discrimen honoris & famæ, & luere extrema omnia nulla admissa defensione innocentiæ. Quæ si demum aliunde patefiat, non ideò meliorem fieri conditionem, sed laxata duntaxat pœna permitti vitæ ærumnosæ; cæterum nec absolvi, nec in integrum restitui, nec alio præmio constituto, hęrente semper ignominia, vexari: idque fieri, nec vel calumniatores iniqui talione, vel levissimi cognitores pudore teneantur. Quæ omnia non nisi ex temeraria summæ potestatis præsumtione, jurisque omnis humani & virtutis illius, quam hîc charitatem vocant nos illhic nescimus, ignorantia committi clamant. Jam & hoc in summa calamitatum numerant proscripti, se nunquam non jure potiores, semper tamen causa excidere; quòd turpe existimetur à subjectis vinci superiores, minusque mali justitiam vulnerare, quam his notam infligere,

gere. Et ne unquam, sive conqueri in posterum miseri, sive gloriari vincentes possint, eos quam longissimè relegari extra Solis, famæque vias, ut ne audiri aliquando queat, in rerum natura alicubi sint, an penitus extincti: ajunt horum omnium malorum fontem esse Monarchæ Solipsorum (*præpositi generalis Societ.*) perpetuitatem, quasi qui omni juri super est; hoc jus ipse sibi constituat, æternum degere, nec ullius Numinis aut hominis supra se potestatem agnoscere. Urgent proinde, ut collatis Europæorum viribus Solipsorum (*Jesuitarum*) Imperium aut exscindatur penitus, aut limitato Monarchæ (*præpos. gener. Societ.*) tempore castigetur. In quam rem implorata Papæ (sic Romanum Principem vocant) auctoritate, omnia confecta putant si his humiliato Monarcha aditum ad Solipsos (*Jesuitas*) Evangelio patefaciat: nec est argumentum præstantius, quod Papam ad bellum Solipsis inferendum, Principesque Europæos permovere queat. Pergit Salinus (*Johannes de Lugo*) se non dubitare suum quoque consilium à Purpuratis periclitandum, nec sibi aliud mentis esse, ut mentem non prodat, quàm dicta proscriptorum approbare, & Europæorum regendi rationem laudare. Hi enim aut in regnis succedunt nati Reges, & legibus Regni utuntur, nil perperam agentes, sed prudentum responsis auscultantes: aut à populis leguntur, & temporanei sunt vel si perpetui, servare leges jurant, suaque sponte coercentur, & sapientum consiliis reguntur: Nemo unus est qui omnia solus velit, ausit; sed neque Papa, qui quemadmodum Europæi perhibent, Numinis ęterni dispositu perpetuus est, & omni legi humanæ exemtus, quicquam nisi ex consilio sui Senatus plerumque agit. Idipsum cernitur in sacrorum cœtibus, quos hîc religiosos appellant. Hi aliquando perpetuos dicuntur tulisse Hegumenos, sed quam damnosè experientia docuit: & ne imposterum durarent, judicio Papæ perfectum est: neque hactenus visum, ut contra, ex temporaneis transirent in perpetuos, quod id nihil unquam compendii, semper damni plurimũ reb9 attulit. Ajunt quippe hanc perpetuitatem ferre secum, ut pauci admodũ reddantur ad regendum idonei, longævitate Monarcharum

rum ſpe ſua fracti, ac interim Monarchæ omnia miſcentis poteſtate variè exerciti, ut paucis nec præclaris aditum ſtruat ad Regnum, ſcilicet quos ſui moris eſſe novit, nec ab exemplo diſceſſuros. Contra temporaneis, per momenta ob oculos animumq; verſati, ut brevi deceſſuri, meliorem ſucceſſoribus relinquant Rempublicam, ac interim modeſtè imperent, memores conditionis ſuæ, ex Regno oblata mox vacatione in ordinem redigendi. Idque unicum, & ſalutare cenſent remedium eſſe *Monarchis* officio continendis. Præterea juſti tenorem non ſanctius ſervari poſſe contendunt, ne indigni aſſumantur, optimi dejiciantur, tota Monarchia nullo æquimento paulatim ad nauci homines redacta; quando & vitia & virtutes ad libitum finguntur. Queruntur nimirum proſcripti, ſe non alia de cauſa ejectos, quam juris, cum flagitarent, non ſervati, idq; capitale ſancitum, ſi flagitâſſent, cum interim ob minimos exceſſus plecterentur acerrimè quando omnium licet diverſiſſimorum errorum paria eſſent vocabula; ut perinde reus Majeſtatis poſtularetur, qui pirum comeſſet, & venenum propinâſſet; muſcam aut bovem occidiſſet. Quæ omnia ex ignorantia juris, an inſolentia arbitrandi promanent, in medio eſt: Duo tamen plerunque præcipua expendunt contrahendi Imperii momenta; Alterum grave ſanè, ſenectutem durantis non ad mentem, ſed ad vitam invalidam, unde prona ſint omnia ad labefactationem, nullius interim auctoritate legitimè recta Republica, ſed imbellibus deformata conſiliis, alterum longe gravius, ſi quæ pravitas vitio longævè Regnantis invaleſcat, vix futurum ex ſucceſſoribus, qui diſtorta ad normam reducere, labentia ad ſtatum erigere queat, quando vel unius anni fortitudo plurium annorum rigorem requirat: cum temporaneus interim *Ma*giſtratus, etſi pravus & tortus, non tantum deformitatis, aut enormitatis afferat, quin unius alteriuſve ſucceſſoris prudenti regula valeat emendari. Ad quæ argumenta, inquit Salinus (*Johannes de Lugo,*) cum vix eſſet, quid pro Solipſorum (*Jeſuitarum*) Monarchia reponi poſſet; ambitio ſe obtulit: pulchrum quippe videbatur, arcere honorum prenſatores, qui circumſcripto brevi tempore princi-

principatu, capita elati occultisque artibus sceptra venati, Regnum pluribus dominis obruerent; quando vel in minimis difficile est ferre æmulum, nedum parem. Sed responderunt proscripti, lege coërceri posse ambitiosos si deprehendantur, nec deesse supplicia salvis juribus; quamvis ex horum affectatione non plus damni oriri certius sit, quam ex diuturnæ dominationis absolutæ assuetudine; quæ si competitores semper impellit in vota novi magistratus, tum interdum diu suspensos animis, in malum provocat diu regnantis. Quin verò expedire putant, plures esse qui ambire modestè nôrint, nec damnosum esse Monarchiæ, imò maximè honorum, multos habere regno pares, nec in unius miserandi capite sortem omnium & fortunam publicam miserè errare. Hæc ferè & plura Salinus (*Johannes de Lugo*) in literis, manu quoque & fide lateronum firmata. Quæ coram Satrapis (*patribus assistentibus*) lecta, divisos omnium animos mutuò se contuentium consternârunt, metu præsertim belli impendentis, quod suspicarentur præventas à Papa plagas, quas Monarcha Solipsorum (*Præpositus generalis Societatis*) capiendo Romano principatui, dolo tetenderat. Quare comitia Majora indicenda suadent, ut quid facto opus esset, ne Solipsi (*Jesuitæ*) humiliarentur, maturè deliberaretur. Nec defuere, qui Salinum (*Johannem de Lugo*) in animos Europæorum penetrantem, non extra dolum malum esse conjicerent, eundemq; si fors ferret, splendore purpuræ captum, primum fore Solipsorum (*Jesuitarum*) Monarchiæ, hostemque infensissimum. Sed hæc hactenus. Interim vocatis clam Centonatis (*Capucinis vel Franciscanis,*) quos hac de causa detinuerant, suasere multis promissis, ut pars profecti in Europam, Principibusque callidè expectoratis, si quid adversum Solipsorum (*Jesuitarum*) Monarchiam suscepissent, injecta suorum Numinum religione conarentur avertere, & meliora de Solipsis ingerere. Quod si perfecissent, futurum in Regno eorum generationi perpetuum locum, & gradum, liberumque per omnia genera commercium. Arrisere illi, cum lubentia paratissimi officii, certò recipientes, facturos se, ut Europæi Solipsis (*Jesuitis*) temperent, nec desiderare

derare artem conciliandorum, sæpius jam feliciter periclitantem, semperq; sub manu esse consilium versandi in utramque partem, procul omni suspicione doli, quem si mens condat, habitus arcet Europæos longè positos, nunquam, nisi per nubes incantamentis rectos, ad Solipsos (*Jesuitas*) salvo milite trajecturos; caverent potiùs à finitimis, ne isti collusione turbas facessant Europæis morem gesturi, qui ad arma in se convertenda proniores sunt, quam remotis populis, magno cum dispendio inferenda. Hæc Centonati (*Capucini:*) quibus abituris datæ sunt plurimæ voluminum centuriæ, quæ Solipsorum (*Jesuitarum*) præclara gesta, laudesq; à sæculo incomparabiles loquerentur. Scilicet inter proceres & Principes Europæorum dono distribuendæ, ut vel inde constaret de universa rerum natura longè excellentius meritos esse Solipsos (*Jesuitas*) quàm ut quispiam mortalium ipsis male velle possit: idq; ut mediata peroratione Centonati (*Capucini*) omnibus contestarentur imperatum. Sed jam reliqua ad hujus Monarchiæ propagationem spectantia inspiciamus.

Caput. XVIII.

Conjugia Solipsorum (Jesuitarum) *& liberorum educatio.*

COnjuges Solipsi tot habent quot alere possunt, nec tam adolescentes, quàm adultas, sæpiusq; anus decrepitas, & has (quod monstri instar meritò mireris) fœcundissimas, raroque aborientes, imò sub ipsum exitum vitæ copiosius enitentes. Hæ porrò omnes concipiunt, non coitu, sed verbis & afflatu, pariuntq; non utero, sed manu, contra aliarum mulierum naturam. Admittunt & ipsæ plures maritos, sed tum minus fœcundè pariunt, minusq; gratum edunt partum: universim verò nullum certum pariendi tempus habent, sed modò citius, modò tardius enituntur, interdum Elephantinum partum superant. Eò certè maritis gratiores sunt; quò citius & sæpius & copiosiùs pariunt, quanquam ultimæ senectutis partus subinde inter gratissimos habentur, & felicissimos. Editos liberos, non uxores, sed mariti lactant lege Solipsorum (*Jesuitarum,*

rum,) nutriuntq; ad metas usq; adolefcentiæ, tum aliis commendant formandos, fed non extra tribum; poftquam juventutem exactam, virilem ætatem ingreffos cum fœnore altorum repetunt, vitamq; deinceps domi fecum agere jubent, fenectutis habentes levamen. Hæc de maribus præcipuè, nam fœminas aut rarò edunt, aut editas, & vix ablactatas elocant, dote non data, fed contra mores gentium accepta à fponforibus, & in cenfum converfa. Cæterum non hac folum generis prole beatos fe cenfent Solipfi (*Jefuitæ*) verùm multò magis alienæ fobolis rapina, quod ad populũ parandum, gentemq́; multiplicandam illis unicum & fingulare præfidium eft: hinc ingens ubiq; numerus civium otiosè vitam traducentium, coloniæq́; ad ultimos Orbis fines exportatæ. Nimirum partubus finitimarum alieni juris gentium ita infidiantur, ut ferpens ovis perdicum; hoc rapiunt jam adolefcentes & nova velut incubatione fotos, paulatim ad mores fuos ita efformant, ut domi genuiffe videantur. Diceres ab urfis lambitos nifi formofos rapuiffent. Nihil porrò magis curant deftinati ad munus Emiffarii, quam ut delectu rapinam exerceant, nec ullos obfcuro natu defignent, nifi quos indoles, fortunave credatur elatura. Hæc rapina divinum planè ipfis quoddam inventum eft ad fervandam augendamq́; Monarchiam, ftabilitis finitimorum fœderibus, metu liberis. Ita quippe fit ut natis Magnorum potiti, in parentes quoq;, confangvineos, & affines Imperium populare exerceant, adeoq;, integras cum familiis urbes, & Provincias fenfim obtineant. Nec alia re magis potentiam fuam jactat Monarcha, quàm habere fe mancipio fupra centum mille puerorum, alienigenarum natos, arbitratu fuo ad omnia factos horumq́; refpectu famulantem fibi totius mundi parentelam. Audivi non neminem ex Afianis dolenter conqueftum, exhauriri nobiliffimas familias, trahiq; quotannis non unam adolescentium raptorum myriadem, ducturam in otio & indolis oppreffione vitam ærumnofam; qui alioqui ad omnia fumma nati, patriæ, orbiq; univerfo faluti, & ornamento futuri erant. At is tantùm abfuit, ut profecerit, ut provincia, quam admi-

administrandam suscepturus erat cedere jussus, paulò post etiam in Africam deportatus sit.

Caput XIX.

Reditus Solipsorum (Jesuitarum.)

MIro sanè artificio divisæ sunt opes Solipsorum (*Jesuitarum*) ut si Præsidia urbium excipias, quibus certa ex agris sunt stipendia, aut cum miles ad expeditionem ducendus est, cæteri nullos habeant certos proventus, nullos census agrarios unde victum parent, nullas prætereà auri vel argentifodinas, unde talenta cumulent, nullas deniq; ex mercibus, aut opificiis auctiones, unde lucrum pecuniarum æstiment: abundant nihilominus magnificis expensis erogandoq; pares, & ex superfluis insanæ passim splendidissimorum ædificiorum substructioni intenti. Tanta rerum fortuna largitionibus duntaxat, donariisq; finitimorum Principum, ac populorum constat, certa adeo liberaliq; contributione, ut incerta sit accepti copia. Atq; hæc Monarcharum (*Præpositorum generalium Societ.*) Satraparumq; (*Patrum assistentium Societatis*) ingens est gloriatio, habere devinctas omnium opes, quorum liberos rapuerunt, eosque habere nullo suo labore, cultu aut quavis parandi sollicitudine tam obnoxios, quàm sangvinis tributarios. Nemo enim unus est, qui filiis apud Monarcham (*Præpos. gener. Societ.*) bene habendi causa, viscera non profundat, nedum opes, muneraq; constituat auctiora, quàm annui census ferrent. Sic sanè captata gratia filii assurgunt: etsi interdum indole cassi nec officiis pares, præstatq; defectum Monarchæ favor. Par ratio ex Tributariis, Testatores facit parentes, agnatosq; signata penes Monarcham suprema voluntate, æqua in vivos & mortuos potestate, is succedit hæres non lege testamenti magis, quàm jure fisci (quod nobis Europæis est spolium) diciturq; *Dominus altus.* Sed in summo jure non immemor beneficii, defunctorum familiam inter cives accenset dato chirographo, indulgetq; solito Solipsorum (*Jesuitarum*) privilegio, si quando decedant, aditum ad beata Numina, ac interim defunctos Apotheosi do-

nat. Jam quidquid Ganges, Tagus, cæteriq; auri & gemmiferi fluvii, montesq; fundunt, aut quiquid medicamentarii terrarum abdita viscera creperis scrutatorum laboribus produnt, magnam partem Monarchiæ cedit, Supra Regium censum. In eam curam Præsides Provinciarum *(Provinciales Societatis,)* si in aliam, unicè incumbunt, nihil ut non sartum tectum repræsentetur. Totum id in quatuor partes tribuitur, primam vendicat gaza Regia; alteram Pharmacopæum publicum: tertia creandis pecuniis impenditur: quarta finitimis principibus doni beneficentiæq; titulo mittitur, magna Solipsorum æstimatione, ob raritatem munerum, & gratiæ pretium, in amuletis maximè prorogandæ ætati idoneis: unde cum vitam eis se debere blandiendo agnoscant, paulatim & libertatem dedunt: felices pronunciantes, qui Solipsorum Monarchæ *(Præposito gener. Societ.)* serviunt, & plusquam Regina Saba divitias Salomonis, copiam rerum peregrinarum stupentes, vicissim illi talenta auri argentiq; reddunt. Cæterum quia coërcito parentum vigilantia, Principumq; severitate plagio, donariorum ratio labilis est; expediret certa fundorum possesfione censum constituere, idque Brotacano *(Cantabro i.e. S. Ignatio)* Monarcharum primo, visum initio, quod sapienter præsagiisset, futuros aliquando Solipsos *(Jesuitas,)* sive suo vitio finititimis exosos, sive æmulatione meliorum, ad quos favor respexisset, neglectos contemtosque. Neque latuit successores providum legislatoris consilium, idq; res & tempus postea monuere; stimulantibus etiam Principibus viris, quibus Solipsi *(Jesuitæ)* vel cari vel suspecti, vel indiscreta prætextu donariorum exactione graves erant. Verùm isti rustica quadam sui prçfidentia & tumore pectoris, quasi constantia elati, tantùm abest, ut neq; unquam parerent, superbè obduruerint, invisa prudentibus subditis obstinatione, qui communi cum cæteris mortalibus lege victuri, optarent non prægravari oneribus quæ Monarchæ *(præpos. gener. Societ.)* & Satrapæ *(patr. assistent. Societ.)* bonis aliorum labore paratis jucundè perfruentes, minimè sentiunt.

CAPUT

CAPUT XX.

Bella à Solipsis (Jesuitis) *gesta.*

NIhil hic de vetustis, quæ fabulosa ipsi in compitis & circis jactant, & in Annalibus ad nauseam repetunt, exempli gratia olim in pugna Gigantum unos Solipsos (*Jesuitas*) cœlestibus auxilium tulisse duce Lopio Brumnavo, qui idem in condendis rerum naturis opifici prȩstò fuerit, formamq́, universi in palimpsesto delineatam obtulerit: fugatos Gigantes, aurum quod rapuerant sparsisse per campos cœlorum, quod deinde noctu relucens; magno mortalium beneficio, stellarum quas conspicimus nomen tulit: ipsos vero post Herculeum fretum in Oceanum præcipitâsse, uno duntaxat seniore Bulzegugo vexillifero, infimo orbe sua mole detento. Nam cum ætate & corpore gravis cæteros fugientes assequi non valeret, tentata fractura, hæsit capite tenus inter medias rimas, reliquo corpore sursum verso: hoc ipsi caput Lunam plenam esse dicunt, adeoq; faciem Lunæ nobis visam, faciem Bulzegugi in terram prospectantis, & suorum opum frustrà implorantis. Quod autem crebrò dichotomus & sincipite, occipite tantùm corniculatus appareat, assiduum retrò eluctantis conatum, si quo modo caput insertum redimat, indicat, ac interim tergo natibusq; à custodibus superis vapularis, fœda non minus quàm horrida edit spectacula: nam & mingit & reflat & spirat & cacat. Hinc illi pluvias, ventos, nubes atras, tonitrua, fulmina, grandines oriri perhibent, pluraq; id genus insignitis musca Annalibus tradunt, nec antiqua solùm, sed quæ medio tempore, atq; etiam post erectam Monarchiam gesserunt, per Centurias describunt: Quæ omnia ipsis remittentes, ea duntaxat breviter & ordine narrabimus, quæ nostro tempore circiterve, per annos quadraginta quinq; susceperunt, & ferè dubio exitu clauserunt. Primum superbia excitavit. Nam cum Avidius Cluvius (*Claudius Aquaviva Præpositus Societatis*) ditione, præcessorum virtute nonnihil prolata, Regnum attollere tentâsset, nec amplius Sumonaclestum Sottirobusiorũ Principem (*Clement. VIII, Totius*

orbis Principem i. e. Summum Pontificem) potentissimum, cujus beneficio Manimorandiæ (*Romaniæ i. e. status Pontificii*) provinciam possidebat, agnoscere vellet: hic hominem in ordinem redacturus, dominatu privare & in Marboreiam relegare constituerat, urgente potissimum Sennarimandomo Regni Scriba, Avidio Cluvio (*Claudio Aquaviva Præpos. Societatis*) nequicquam suis juribus se tuente sed senium morbidum miseranter interponente, frustra omnia fuissent, nisi Sumonaclestum (*Clementem VIII.*) in medio conatu mors tulisset. Tum reductus miles Solipsis (*Jesuitis*) jactandæ gloriæ locum reliquit, quasi prælio vicissent, & Sotturobusiorū Principem (*totius orbis Principem i. e. Summum Pontificem*) congressu occidissent. Hoc successu elatiores, non multo post in Regno Toseneveorum (*Venetorum*) turbas commoverunt, dominaturi, nisi isti evigilâssent, aut nisi Solipsi (*Jesuitæ*) consistente jam ad pugnam acie, à Soricio Duce deserti fuissent. Tum enim Tosenevei (*Veneti*) circumventos malè mulctârunt, pluribusq; cæsis & paucis precariò servatis, omnes demum commercio in perpetuum interdicto proscripserunt. Stetit hoc bellum sanè Monarchæ Vibosnato (*P. Mutio Vitellesco Præposit. gener. Soc.*) immani pretio, nunquam hactenus resarcito, eoq; tristiori exitu, quod omnis recuperandi juris spes crederetur præcisa. Memorant uno abhinc sæculo, Regno quoq; Romulganorum (*Gallorum*) pari ex causa ejectos Solipsos (*Jesuitas*) diuq; adversis jactatos, sero tandem postliminio purgatis facinoribus revocatos ad gentis mores & ritus se conformâsse, sua religione ejurata: hoc enim illis solemne ad fœdera sancienda, dum mentem, ut perhibent, injuratam servent. Pene eadem tempestate, suscepta contra Solvinianos (*Sovanienses*) expeditio, quod hi leges Solipsorum (*Jesuitarum*) corrigere tentâssent; & arsissent hoc bello, religionis ut videbatur prætextu; quam plurimæ Provinciæ, nisi Utoxius (*Sixtus V.*) qui tum Sottirobusiis imperabat (*totius orbis erat Princeps i. e. Summus Pontifex*) auctoritatem interjecisset, hunc reveriti Solviniani (*Sovanienses*) concesserunt, perstrictis tamen ante Solipsis (*Jesuitis*) eatenus, ut se errâsse

coram

coram Utoxio (*Sixto V,*) faterentur, publicisq; tabulis, saniorem imposterum gesturos mentem sponderent. Verùm hæc duo bella ante meum istuc adventum, & medio tempore gesta sunt. Ad seriem redeo. Imperante Sottirobusiis adhuc Sumonaclesto (i. e. *Clemente VIII. Summo Pontifice sceptra totius orbis adhuc tenente*) ingens bellum exortum est inter Solipsos (*Jesuitas*) & Cinimonadusios (*Dominicanos*,) raro inter paganos prætextu religionis, hic tamen specie quadam divinitatis. Ajebant Cinimonadusii (*Dominicani*) Deum suum ejus esse potestatis, cui mortalium nemo valeat resistere. Negabant pertinaciter Solipsi (*Jesuitæ*) exaggerata sui Monarchæ prærogativa, ut ne omnibus quidem omnium gentium Diis, in unum conspirantibus adesse tantum potentiæ vellent, quo Solipsos (*Jesuitas*) rebellare paratos coërcere possint. Duravit hoc bellum quinquennio, Sumonaclesto Rege (i. e. *Clemente VIII. Pontif. Sum. clavum Imperii tenente*) & Solvinianis (*Sovaniensibus*) ad Cinimonadusios (*Dominicanos*) Alapuniis (*Polonis*) & ex parte Latinimeraciis (*Salmaticensibus*,) aliisq; collectitiis accedentib*, victoria ad illos inclinavit, & internecione plurimorū sopitum potiùs quàm extinctum dissidium. Desiderati Solipsorum (*Jesuitarū*) Duces Atilenavius, Tibasavius, Calambalsineus, & plures Sibalasius, Gencaratanus deserta acie fugerunt: Cinimonaalii, dusii (*Dominicani*) Osmelium & Zejulavium saucios avexerunt. Jactata à Solipsis (*Jesuitis*) victoria, tametsi relictis sarcinis pauci evaserint. Idem bellum aliquot post annos recruduit Solvinianis (*Sovaniensibus*) in aciem provocantibus, quod Solipsi (*Jesuitæ*) opinione deteriores, jura gentium incestarent. Multis præliis, haud sine Solipsorum (*Jesuitarum*) depressione gestis convenit tandem ut Busnaturii Sotterobusiorum Principis (*Urbani VIII, totius orbis Principis i. e. Summi Pontificis*) arbitrio res componeretur, positis ad tempus utrinque armis, Et hæc quidem totius gentis majora sunt bella: Minora quædam diversis in Provinciis agitata, nunquam adeò fortunatis Solipsis (*Jesuitis*,) quin meliora optarent sæpius profligati. Aliqua hic

referam,

fereram, ubi prius rebellione provinciæ Abſciſſianæ (*Sicilia*) capite ſequenti meminero.

CAPUT XXI.

Rebellio Abſcisſianorum (Siculorum.)

POpulos hæc Provincia nutrit foroces, uno tum Præſide Sinacarſio (*P. Hieronymo Acasſina Jeſuita*) recta, homine præcocis iræ, ingenio ruſtico, & qui nec numeris, nec Regni magnitudini par eſſet: hinc ſæpius expedire judicatum, plures immitti jurisdictione,& territoriis diviſos,ne unius nunquam idonei imprudentia, ſalus omnium periclitaretur. Sed non eſt viſum Monarchæ(*præpoſit. General. Societatis*) ne Sinacerſium (*P.Hieronymum Acasſinam Jeſuitam*)amicum ingenti cenſu fraudaret, tantiq; regni dominum anguſtioribus limitibus circumſcriberet. Hoc honoris auctu ſibi claudens homo iners, neque interim populis placere ſtudens, efferebat ſe in dies & ſuperbia & ſævitia, & quaſi non precariò præeſſet, vexare ſubditos, minimisq; de cauſis mulctare, detrectantes in crucem agere. Itum ad Monarcham (*præpoſ.gener. Societ.*) quiritatum ſæpius de imminenti rebellione, niſi providè caveret,contemſit; provocatum ad finitimos Principes,quibus imminebat Maroſappanus (*Papa Romanus.*) Hic miſſis deprecatoribus, addidit periculum defectionis niſi Abſciſſianis (*Siculis*) juſtè faceret. Ita factum metu, ut Provincia in plures tributa, ordinatoque Magiſtratu, populi quieſcerent. Nec tamen diu feriatum. Nam Sinacarſius (*P. Hieronymus Acaſſina Jeſuita*) deminutum ſe ægerrimè ferens omnem lapidem apud Monarcham (*Præpoſ.gener.Societ.*) movit, quo rurſum integrato Regno ſolus regnaret, multosque nobiles (*Profeſſos quatuor votorum Societatis*) ut id flagitarent promiſſis induxit. Credulus Monarcha miſit Buxaldirnum(*Hieronymum de Alexandris Jeſuitam*)inquiſitum,quid è re foret.Hic qui nunquam inter Leporem & Cervum diſcrevit, perſuaſus à Sinacarſio (*P.Hieronymo Acasſina,*) retulit niſi Abſciſſianum Regnum(*Sicilia*) quantocius rurſum coëat in unum,periiſſe,multiſque falſorum ſyngraphis in medium prolatis, creditum dolo

& reſi-

& refixum, quod pacis gratia intercesserat Sacramentum. Quid enim inconstantius verbis, ubi mens fluxa? Mittitur Mimpilosuminus (*Pater Franciscus Piccolomineus Jesuita*) alieno tantum cerebro sapiens, confusisque juribus, sceptra sustulit unumque rursus Regnum initiavit, priùs tamen præsidiis clam milite obsessis, ne populus armis correptis omnia misceret, uno Mimpilosumini (*Francisci Piccolominei*) Capite non contentus. Quievere interim concussi, donec paucis post diebus agnito syngrapharum dolo vehementius exarsere. Tum furentium agmine facto, irruere in Prætorium, exturbatoque Præside ad finitimos provocare, & si manus ferrent, Regno pacisci. Impetrârunt, ut cum Monarcha de instauranda, casso dolo, fide transigeretur, regnumque deintegraretur: quod si is renueret, Sacramento soluti Abscissiani (*Siculi*) aut potentiori finitimorum se dederent, aut suum ipsi Regem umbone efferrent. Sensit Monarcha pavidus & certus periculi in pacta descendit nunquam servanda, facturum se satis, si omnium mens eadem esset, ut sceptrorum dividundorum, aut populorum non unius Vicarii Imperio regundorum. Id sibi quoque è re videri: staturum fuisse priscis decretis, nisi adversantium syngraphæ obviâssent. Cæterum firmata jam pacta antequam vulgarentur, mora ex composito injecta est, itumque interim ad antiquos dolos, ut Rantisantius Satrapa, qui tum Abscissianis (*Siculis*) tyrannicè moderabatur, clam iterum omnium syngraphas cogeret, non honoratorum modò sed etiam mediastinorum & servorum, præscripta formula, qua omnes contestarentur, nolle se Regni statum demutatum, nec nisi unum, cui parerent, optare. Addita dolo cautio, de non propalando secreto & incussa violentia, quippe ex timidioribus magnam partem coactè subscribere, iis, quorum pectora saperent, præteritis. Ita factum ut nomina magno numero missa finitimis fucum facerent, donec detecta barbara versutia plerisque iram & odium acuit: eruptura in bellum nisi Dii faxint, ut barbari ex fide saltem & jure gentium sapere incipiant. Hactenus jura & arma silent. Sed jam ad majora illa diversis in Provinciis suscitata, quemadmodum commemorabamus

convertendus stylus. Ea nostro tempore ferè quaterna fuere. Rumorregiense (*Collegii Græcorum Urbis*) & Narimesium (*Seminarii Romani,*) quæ ferè conjuncta, Semlinense (*Melitense*) & Tiremanumium (*Mamertinum seu Messanense*) Rumorregium Urbs est Morandiæ (*Romaniæ i. e. status Pontificii*) nobilis & antiqua, cui præerat Lugariquintinus (*pater Tarquinius Gallalatus Jesuita,*) homo si favorem Principis excipias, vilis & regendi imperitus, qui cum boni & æqui non capax cives divexaret, seditione commota clam profugit. Princeps occurrendum ratus Rodagaristum (*Patrem GarZadocum Jesuitam*) mittit, qui sorte an meliori talento rem composuit. Lugariquintinum verò (*Tarquinium Gallalatum,*) quasi improbè factis commendabilem, Narimesiorum Urbi nobilissimæ (*Seminario Romano*) præfecit; scilicet generosis equis & pullis buphalum. Non diu præfuit, & rusticitatis, immanisque duritiæ notatus, puta repentinus Dubenus (*Dominus*) ita omnes offendit, ut correptis ad signum armis, hominem dejicerent, stipatores, aut jugularent, aut se dedentes plagosos efficerent. Lugariquintinus (*Tarquinius Gallalatus*) in Turrim se abdens, prætereuntes magno clamore sollicitabat, frustrà, nisi carnifex an apparitor casu se obtulisset. Hic celerrimè ad finitimum Principem Rensugiesum (*vices gerentem Urbis, Antonium Riccialtum*) accurrit, quo loco res Solipsorum (*Jesuitarum*) amicorum sint renunciat, ni succurrat ipse omnes ad unum tota urbe cædendos prius, quàm exigendos. Adfuit illico ingenti manu nec quicquam initio profecit, Narimesiorum furore gliscente in perniciem Lugariquintini (*Tarquinii Gallalati,*) quem nisi servorum quorundam fides tutata fuisset, parato in medio atrio ligno destinârant. Ursit interim ad mœnia Rensugiesus (*vices gerens Urbis Antonius Riccialtus,*) se non hostem, sed amicum venire, non ut liberet Solipsos (*Jesuitas*) sed ut seditiosos ad pœnam poscat, optare etiam suæ fidei dedendum Lugariquintinum (*Tarquinium Gallatum*) plectendum, si meritus esset. Annuere Narimesii amico Principi, & apertis urbis portis admisso, rem ab ovo narrant, hominemque in admirationem rapiunt. Cuius gratiæ deditus

Luga-

Lugariquintinus (*Tarquinius Gallalatus*) verberibus, an metu elanguens Rensugiesus (*Antonius Riccialus*) à Narimesiis faciens illico ad *M*onarcham (*Præpositum general. Societ.*) perscripsit, nisi Lugariquintinum(*Tarquinium Gallalatum*) tolleret, pacem à Narimesiis non futuram, qui si è manu sua ille abiret, hominis necem devovissent. Extimuit *M*onarcha perculsus, nunquam ratus audere tantum Narimesios, sed eos non solum suis viribus nixos, ubi accepit, pejora metuens, ut Lugariquintinum (*Tarquinium Gallalatum*) posito Magistratu ea urbe excederet mandavit, ac ut cum pace deduceretur, Rensugiesi (*Vices gerentis urbis, Antonii Riccialli*) auctoritatem imploravit. Nec mora, ille non tam dimissus, quàm ignominiose ejectus, Rensugieso (*Antonio Ricciallo*) ægrè manus impetentium inhibente, discessit, & ne ægritudine animi conficeretur Rumorregiis (*Collegio Græcorum Urbis*) Sarcabinerii (*Cardinalis Barberini*) gratia, qui omnia apud illos poterat conciliatus postliminio ad eos rediit. O miseros terque quaterque Rumorregios! Siccine fortuna in hunc casum vos dedit, ut quod in oculis nō poteratis, in visceribus ferretis? ecquę hanc apepsiam medicina sanabit, ne perpetuus & sonticus vester sit morbus? saltem curate diligenter ut sæpius vomatis. Hæc de Rumorregiensi (*Collegio Græcorum Urbis*) & Narimesio (*Seminario Romano.*) Successit Semtilense (*Melitense.*) Præerat hic Urbi Silvinæ Soralucus Bridenus(*Pater Carolus Ventimilia Jesuitá,*) sola Vibosnati (*Mutii Vitellesci Præpos. gener. Societ.*) gratia, is cum in animum Regis Elcheniæ (*Magni Magistri equitum Melitensium*) penetrâsset, à legibus patriis hominem transversum egit, ad suumque modum per omnia moderantem habuit. Id indignè ferentes Picuriori populi (*Equites Melitenses,*) honoribus & aditu Regis arcessiti, conspiratione facta Bridenum (*Carolum Ventimiliam*) in Urbe obsident, eaque expugnata in arcem, quo is effugerat evadunt; quæsitum ad necem cum non invenissent, pluribus cæsis omnia diripiunt. Is se opportunè in subterrane-

um aquæductum abdiderat, unde paucorum officio totus u-dus, & semimortuus extractus, Luna silente navigio effugit. Ita relicta Silvina, ad Vibosnatum (*Præpos. general. Mutium Vitellescum*) evocatus causam dixit, qui culpam in se hærere sentiens, quòd toties monitus Bridenum (*P. Carolum Ventimiliam Jesuitam*) regendi ignarum non amovisset, nocentissimum caput non solum absolvit, sed quasi prudentissimè rem, in aquæductu latens & excernens, gessisset, Moporanæ castro finitimo præfecit. Successit Teremanumium (*Mamertinum*) longè atrocius, sed eventu ridiculo. Nam quia Solipsi (*Jesuitæ*) suas ubique leges, abrogatis gentium ritibus avidè, callideque obtrudunt, fortè subornatis viris Magistratui renunciant, velle se in Regia platea copias lustrare ad expeditionem Dianorum Monarchæ jussu ducendas. Annuit benignè Magistratus; illi verò ducto in forum milite, ex condicto castra metari, & vallum educere. Qua fraude animadversa Teremanumienses (*Mamertini seu Messanenses,*) illico ad arma conclamant, factoque populi ingentis concursu tumultuario, nihil propius fuit, quam ut Solipsi (*Jesuitæ*) ad unum omnes internecione delerentur. Ne id fieret, Præses cum cohortibus intercessit: vi tandem pluribus cæsis, sedata turba; vallumque solo æquatum. Ex Decurionibus Solipsorum metu non nemo ementatus, alii sexum habitu mentiti fœminis quoque risum fecere. Ex eo die fides parcè habita Solipsis (*Jesuitis,*) qui nihilominus mitigatos jam ut videbatur Teremanumios (*Mamertinos seu Messanenses,*) nova arte adoriuntur, transiguntque de Gymnasio armorum utrique genti communi, in quo juventus ad militiam erudiretur. Nec mora locum deligunt, haud dum assensis primariis prospectu in Urbem amœno, unde etiam dominari, si res posceret, valerent. Id ubi Senatores animadvertissent, concitatum populum, si libertatem amâsset in Solipsos (*Jesuitas*) armant. Extemplo concursum est, cæsique complures, etsi non multi, sed accenso majoribus copiis prælio, victi tandem Solipsi, & funditus eversum Gymnasium: multi quo fuga rapuit evadentes, ne in præterflu-

entem præcipitarent, moderatione Prætoris cautum est. De vita & civitate pactis oblatum est Sacramentum, ut imposterum morigeri essent, si salutem amarent. Vix mensem quievere, & loco alio quem non nemo Solipsis (*Jesuitis*) studens, pretio locârat, domicilium ordiri: quo nondum constituto, decuriones turbis ad signa vocatis cœpta disjecerunt: fortè à siderato quopiam clamatum, de ritibus Deorum agi; tum verò & sacrorum omnium cœtus exciti, tanquam pro aris & focis in Solipsos irruere: qui territi repentè, nisi rebus armisque projectis manus dedissent hac vice omnes perierant. Ita toties attriti, Teremanum iis (*Mamertinis seu Messanensibus*) fere contemtui, & ludo esse cœperunt, commiseratione potiùs, quam odio digni: hodie inter postremos censentur, raro cum civibus commercio. Id nuncii cum Vibosnatus (*Mutius Vitellescus Præp. gen. Soc.*) accepisset, ingens in Curia seqvuta est perturbatio, dejectique Satraparum (*Patrum assistentium*) animi, quod Solipsos vinci nescios, non adeò potens populus tot cladibus affecisset. Percrebuit is rumor non militum ignavia, sed socordia & imprudentia Colosbidozari, cujus alibi ampla mentio, Monarchiam prope salute perdita vulneratam. Is deinde in jus ambulare coactus, in tam lubrica quæstione, linguæ aliàs impeditioris, penitus obmutuit. Mox tamen ad consuetas sibi cum fœminis artes conversus, lacrymis & precibus infimis, capitis sententiam redemit, intercessoribus usus iis, qui ex plebe ad Monarchæ servitia erant, olim artocreis recreati. Ita quem dies insequens novissimo supplicio plectendum manebat, non solum vidit absolutum, sed etiam Aulæ Regiæ præpositum, haud minori animorum, quam rerum omnium in pejus conversione, quod qui pridiè hominem laqueis devovissent, execrati *Monarcham* (*Præpos. Gener. Societ.*) nisi legibus sacrum caput, quemadmodum designârat ac jurârat, tradidisset: iidem posteà à sexcentis talentis commendarent, *Monarchæ* verò plusquam divinam prudentiam admirati deprædicarent oratione dehiscentes. Inter hos non nemo Ægyptiorum semibestiam pridem indutus, cum Monarcham ob bo-

num factum laudare jussus, perplexa adulatione verba meditaretur, nescio quo Sidere afflatus in hæc verba erupuit: *Monarchiæ Solipsorum* (Jesuitarum) *datus occulto fato Vibosnatus* (Mutius Vitellescus, Præposit. gen. Societ.,) *ut lentius occumbentem urgeat, adeste designatores funeris, adeste portitores, quos efferendis Regnis ipse extulit, properate spectatores ad novum ludum.* Quæ cum liberius, iterumque dixisset, obmutuit. Re illico ad *Monarcham* delata, præstò fuere adulatores, infandum genus, contestatum Ægyptium insanum nescire strophas, sed *Lucium Cornelium Europæum*, insignem aculeorum structorem, ingessisse dirum carmen. Ita inscius facti, nulla citatione, jurisque forma cassa appellatione, *Majestatis* damnor, & data ab Apparitore tabella, sententiam legere jubeor in hæc verba. *Lucius Cornelius Europæus à quadraginta quinque annis fictè Solipsus* (Jesuita) *Numinis nostri irrisor, legis naturæ & Evangelii cujusdam Crucifixi sectator, legibus nostris palam infensus, judicio, & intellectu ad nutum nostrum non se abdicans, nostris beneficiis abutens, in adulatores & delatores nostros fideles crudelis; in Monarchiam dicax, Satyris & Sarcasmis omnibus illudens, omnia Solipsorum damnans: denique toti Monarchiæ perniciosus, damnatus Majestatis esto; faciem Principis non videto, intra tres horas ab Aula, intra triduum à tota Monarchia exul esto, nec unquam revertitor.* Vix lecta tabella: & continuò abreptus navi injicior, sæpè tritæ, sæpè fixæ, sæpe excussæ malleo, recisisque omnibus instrumentis, conto protrudor. Nec mora iisdem momentis & plagis quibus olim vectus, & loco unde sopitus abscesseram expositus & carminibus solutus veternum excussi, Romamque novam adspexi, mœnibus & muris non visis cinctam. Mox ingressus, facto æris campani ex Turri Capitolina vehementiori protractiorique pulsu, audio Urbanum VIII. Summum Pontificem ad plures excessisse. Indolui, ac ut tempus, animumque fallerem, donec ostenderetur, quem virtus ex alto Pastorem Ecclesiæ præesse jussisset: hæc æternæ memoriæ consecranda scribebam. Et quidem de Imbellibus satis. Plura si amas consule binos à nobis libros

bros exaratos; Alterum de inteſtinis Solipſorum (*Jeſuitarum*,) de externis bellis alterum. In iis, velut in geminis ſpeculis imaginoſis, adverſè inverſè adſpicies admirandas ſtratagematum ſtrophas, Pœnis, Romanis, Græcis ignotas, ut fruſtrà præ illis, abſit verbo invidia, Herodotum, Thucydidem, Cæſarem, Vegetium, Livium alioſque legas.

Errata quæ χαλκογράφου incuria irrepſerunt, ſic emendentur.

Pag.10.lin.8.leg majoris, quam.p.14.l.11.l.famam.p.16.in marg. l.12.l.inquietaretur.p.28.l.18.l.oportuit.p.37.in marg.l.2.l. colliſit.p.46.l.8.poſt faciunt dele comma.in marg.l.3.l.mentiuntur. p.51.l.14.l.genus.p.56.l.ult.l.Pontifici.p.61. l.19.l. Pariſienſium.p. 68 in m.l.5.l.In Stiria.l.16.l.profecti p.69.l.pen.l.nefariè.In m.l. 7. l. Cæſarem.p. 79. in m. l. 4. l. Monaſteriis. l. 30. l. calamitatum. p. 88. l. 29. l. ſit. p. 90. l. 23. l. opprobrium. p. 92. in marg. l. 9. l. edicto. p. 95. in m. l.30. l. percipiunt. p.103. l. 1. l. ſalvabit. p. 107. in m. l.35. l. Proteſtantes. p.109.l.11.l.intelligentiam. l. 16.l. Pontificiæ. p.117.l.1.l.cœlo.l.antep.l.prooemio.p.122. in m.l.ult. l.argumentum.p.124.l.3.l. latifundiis.p.129.l.28 l.hymnum. l.29. l.quæ non pariebas. in m.l.24.l. mater p. 142.l.2.l. animas ſuas.p. 148. l.3. l.excommunicatus. p.154. l.26. l.proditores. p.155.in m.l. 12.l.parricidii.p.158.l.17.l.Cantabri p.159.l.22.l.publicatum. p.161. l.2.l.juris factam. p. 168. l.32. l.viros p.171.l.3.l. committunt.l.13.l. hecatontadas. p.173.l.15.l. ſtrictioris. p.176.l.17.l.adhibita.p. 178.l. 15.l.aliis.p.179.l.18.l.aliquo.p.181.l.11.l.dignitate. p.190.l.3.l.Scioppii. p. 191. l. 8. l. cœpit. p. 194. l.8.l.peregrinos, nobiles omnes.p. 196.l.25.l.curas. p. 198. l.24.l. lingua. p. 199. l. 11.l. incantamentorum. p. 208. l. 9.l. diuturnum.l. 26.l.antelucanis. p.215.l.20.l.noxam.p. 218. l. 27. l. rationem.p.220.l.8.l.mentiantur. p. 227.l.21.l. ſibi nollent.l.24.l.ingenuum. p.228.l.28.l.abnui.p.232.l.16.l. Maronita l.30. l.Muſarbanus.p. 239. l.12. l. unius. l.14. l. amentatis p. 255.l.21.l.plures alii, l.23.dele alii,

FINIS.

Scioppius (Schoppe)
* 1576 Neumarkt/Opf.

Graesse VI, 325
Vgl. Buchb. IX, 386;
Achtung § 190!

coll. cpl.